BX 3003
.B3
1893
Copy 1

LIBRARY OF CONGRESS.
Chap. BX 3003 Copyright No.
Shelf B3
1893
UNITED STATES OF AMERICA.

TYROCINIUM BENEDICTINUM

SEU

SYNOPSIS VITÆ MONASTICÆ,

AUCTORE

P. ÆGIDIO BARTSCHERER,

MONACHO MICHAELFELDENSI AC NOVITIORUM MAGISTRO,
DEINDE EJUSDEM MONASTERII ABBATE.



LIBRARY OF CONGRESS
COPYRIGHT
MAR 1 1894
CITY OF WASHINGTON
56933

TYPIS ARCHIABBATIÆ ST. VINCENTII, PA., 1893.

THE LIBRARY
OF CONGRESS
WASHINGTON

BX3003
.B3
1893

Copyright by Archabbot Leander Schnerr.

Imprimatur:

† R. PHELAN,
Episc. Pittsb.

IMPRIMI PERMITTIMUS

LEANDER SCHNERR,
Archiabbas.

Die 8. Decembris 1893,
festo Conceptionis Immaculatae B. V. Mariae.

PRÆFATIO.

Per multos jam annos textus hujus libelli Magistro Novitiorum in monasterio Sancti Vincentii inserviebat in explicandis principiis vitæ religiosæ. Cum vero nunquam typis fuerit impressus Fratres Novitii singuli manu propria exemplar exscripserunt ut et ipsi textum præ occulis haberent. Ne autem opusculum hoc aureum in paucis lateret monasteriis, desiderium apud multos, qui manuscriptum viderant, invaluit ut typis imprimeretur. Hujusmodi desiderio obsecundans Revimus D. Andreas Hintenach Archiabbas Sti Vincentii anno 1890 tres capitulares ejusdem monasterii selegit,, qui textum, in quem per multiplicata exemplaria manuscripta multi errores irrepserant, emenda-

rent et libellum imprimi facerent. Opere feliciter expleto, hæc norma vitæ spiritualis piis lectoribus commendatur.

Tyrocinium istud est opus pii monachi Benedictini exaratum pro novellis monachis sui Ordinis; attamen, mutatis mutandis, etiam religiosis familiis aliorum ordinum utriusque sexus necnon clero sæculari magnæ utilitatis futurum esse speratur.

INDEX.

PARS I.

§ 1. De Notione Tyrocinii 1
2. De Fine Tyrocinii 2
3. De Mediis obtinendi finem Tyrocinii 3
4. De Adjumentis et Impedimentis profectus spiritualis in Tyrocinio 4
5. De iis, quæ per decursum Tyrocinii FF. Novellis cavenda vel observanda sunt 5
6. De recta Intentione Tyrocinio præmittenda 6
7. De Notis genuini Tyronis characteristicis 7

PARS II.

CAPUT I.

De Modo Sacramentalem Confessionem fructuose ac meritorie obeundi 9
§ 1. De Materia Confessionis Sacramentalis 10
2. De Contritione 10
De Necessitate contritionis 11
De Dotibus contritionis 12
De Proposito ejusque Dotibus 14
3. De actuali Confessione Sacramentali 15
4. De Satisfactione Sacramentali 16
5. De Modo practice instituendi Confessionem . . . 16
6. De Confessione Generali 17

CAPUT II.

De Modo devote et ferventer accedendi ad sacram Communionem. 20
§ 1. De Præporatione s. Communioni præmittenda . . . 20
2. De actuali Susceptione Eucharistiæ 22
3. De Agendis post Communionem 24
4. De Communione Spirituali 25

CAPUT III.

De Modo celebrandi devote, assistendi Missæ sacrificio, nec non de modo instituendi devote visitationem Sanctissimi 27
§ 1. De Modo celebrandi Missam 27
2. De Modo devote assistendi S. Missæ sacrificio . . . 29
3. De Visitatione Ss. Sacramenti Religiosis admodum familiari 31

CAPUT IV.

Praxis bene ac meritorie instituendi Orationem . . . 33
ARTICULUS PRIMUS. — De Oratione in Genere . .
§ 1. De Notione Orationis 33
2. De Dignitate et Excellentia Orationis 34
3. De Utilitate Orationis 34
4. De Necessitate Orationis 36
5. De Conditionibus bonæ Orationis 37
6. De Causis impedientibus devotam Orationem . . . 38
7. Quid tempore distractionis practice agendum . . . 41
ARTICULUS SECUNDUS. — De Oratione vocali . . 46
§ 1. De Notione et Diversitate Orationis vocalis . . . 46
2. De Antiquitate Officii canonici seu Psalmodiæ sacræ . 47
3. De Dignitate et Excellentia Officii canonici seu Psalmodiæ sacræ 49
4. De Utilitate Psalmodiæ sive Officii canonici . . . 51
5. De necessaria Intentione, Devotione et Attentione ad Psalmodiam sacram 52
6. De Attentione interna 55
7. De Adminiculis conservandae attentionis tempore divini officii 57
8. De exteriori Gravitate, Modestia, ac Reverentia tempore psalmodiae sacrae vel maxime necessaria . . . 58

ATICULUS TERTIUS. — De Oratione mentali . . . 60
§ 1. De Notione Meditationis 61
2. De Praeparatione ad Meditationem 63
3. De Exercitio Memoriae 64
4. De Exercitio Intellectus 65
5. De Exercitio Voluntatis 68
6. De Partibus Meditationis accessoriis 73
7. De Obstaculis bonae Meditationis et de Remediis oppositis 74
8. De Precibus jaculatoriis 76

CAPUT V.

De Lectione spirituali 79
§ 1. De Necessitate Lectionis spiritualis 79
2. De Modo instituendi fructuose Lectionem spiritualem . 81
3. De Libris, qui prae caeteris legendi sunt 83
4. De Distributione Librorum utriusque Testamenti in singulos menses pro lectione spirituali 86

CAPUT VI.

De quotidiano Conscientiae Examine 87
ARTICULUS PRIMUS. — De Examine Conscientiae generali 88
ARTICULUS SECUNDUS. — De Examine particulari . 91
§ 1. De Notione, Utilitate et Praxi hujus examinis . . . 91
2. De Electione Materiae hujus examinis 93

CAPUT VII.

De Manifestatione superiori sive patri spirituali fideliter facienda 96

CAPUT VIII.

De Modestia ac Gravitate religiosa 100
§ 1. De Notione Modestiae ac Gravitatis religiosae . . . 100
2. De Necessitate Modestiae ac Gravitatis religiosae externae 101
3. Regulae generales Modestiae ac Gravitatis religiosae . 104
4. De Modestia ac Gravitate religiosa in specie . . . 105

PARS III.

CAPUT I.

De Statu Religioso 114
§ 1. De Notione Status religiosi 114
2. De Dignitate et Excellentia Status religiosi . . . 116
3. De Impedimentis Status religiosi 118
Impedimenta dirimentia Juris Divini naturalis . . . 118
Impedimenta dirimentia juris Ecclesiastici 120
Impedimenta impedientia, imo ex parte dirimentia, in Congregatione nostra ex tacito saltem consensu et consuetudine hactenus recepta 122
4. De Intentione amplectentibus Statum religiosum necessaria vel perutili 122

CAPUT II.

De Perfectione religiosa 124
§ 1. De Essentia Perfectionis religiosae 124
2. De Natura Caritatis, in qua consistit Perfectio religiosa 125

CAPUT III.

De gravi Obligatione Religiosorum tendendi ad Perfectionem 127
§ 1. Num Religiosi debeant esse actu perfecti 127
2. Num Religiosi sub peccato gravi ad Perfectionem religiosam tendere obligati sunt? 128
3. In quo consistat gravis Obligatio tendendi ad Perfectionem 129

PARS IV.

Dissertatio I. — De Via purgativa 133

CAPUT I.

De vera Pœnitentia ad exstirpanda peccata necessaria . 134
§ 1. De Notione verae Pœnitentiae 134
2. De Necessitate verae Pœnitentiae 136
3. De Qualitate verae Pœnitentiae 138
4. De Motivis excitantibus in nobis veram Pœnitentiam . 139

CAPUT II.

De Mortificatione ad pravos Habitus extirpandos . . 144

ARTICULUS PRIMUS. — De Mortificatione in genere .

§ 1. De Notione Mortificationis 144
2. De Divisione Mortificationis 145
3. De Necessitate Mortificationis 145
4. De Utilitate et Jucunditate Mortificationis 146

ARTICULUS SECUNDUS. — De Mortificatione in specie 148

A. De Mortificatione interna 148

§ 1. De Mortificatione Intellectus et Abnegatione proprii Judicii 148
Actus Mortificationis Intellectus 149
2. De Mortificatione Voluntatis propriae et inordinati Amoris proprii 150
Actus Mortificationis Voluntatis propriae: 151
Signa propriae Voluntatis adhuc praevalentis . . . 151
3. De Mortificatione Memoriae 152
Actus Mortificationis Memoriae 152
4. De Mortificatione Passionum malarum 152
Praecipua Media et generalia hujus Mortificationis . . 153
5. De Mortificatione Respectus humani 154
Actus Mortificationis Respectus humani 154

B. De Mortificatione externa 155

§ 1. De Mortificatione Visus 155
Praxis hujus Mortificationis 155
2. De Mortificatione Auditus 156
Praxis hujus Mortificationis 156
3. De Mortificatione Gustus 157
Praxis hujus Mortificationis 157
4. De Mortificatione Odoratus 158
Praxis hujus Mortificationis 158
5. De Mortificatione Tactus 158
Praxis hujus Mortificationis 159
6. De Mortificatione Linguae 159
Praxis hujus Mortificationis 160
DISSERTATIO II. — De Via illuminativa 160

CAPUT I.

De Virtute in genere 161
§ 1. De Notione Virtutis in genere 161
2. De Divisione Virtutum 161
3. De Modo acquirendi Virtutes 162

CAPUT II.

De Virtutibus in specie 163

ARTICULUS PRIMUS. — De Solertia in rite obeundis operibus communibus et quotidianis 163

§ 1. De Natura et Necessitate hujus Solertiae 163
2. De pura Intentione Operibus nostris quotidianis praemittenda 164
3. De Modo rite et perfecte obeundi Opera nostra . . . 166
4. De Mediis perfecte peragendi Opera quotidiana . . . 167

ARTICULUS SECUNDUS. — De Humilitate . . . 168

§ 1. De Notione Humilitatis 168
2. De Necessitate Humilitatis 169
3. De ceteris Motivis persuadentibus veram Humilitatem . 170
4. De Praxi verae Humilitatis 170
5. De Criteriis Humilitatis spuriae 172
Signa hujus fictae Humilitatis 172

ARTICULUS TERTIUS. — De perfecta Conformitate voluntatis nostrae cum voluntate divina 172

§ 1. De Notione hujus virtutis 172
2. De Excellentia et Necessitate hujus virtutis . . . 173
3. Motiva ad hanc Conformitatem comparandam . . . 173
4. De Praxi et Gradibus hujus Conformitatis 175

ARTICULUS QUARTUS. — De virili in bono Perseverantia 176

ARTICULUS QUINTUS. — Brevis conspectus aliquarum aliarum Virtutum ad Viam illuminativam pertinentium 177

§ 1. De virtute Religionis 177
Actus hujus virtutis 177

§ 2. De virtute Prudentiae prima inter virtutes cardinales . 177
De religiosa Simplicitate 179
4. De religiosa Mansuetudine 179
5. De religiosa Amicitia et Affabilitate 181
Dissertatio III. — De Via unitiva 182

CAPUT I.

De Unione Memoriae cum Deo 183
§ 1. De Notione Unionis Memoriae cum Deo 183
2. Emolumenta hujus exercitii 184
3. De Mediis et Praxi hujus exercitii 185

CAPUT II.

De Unione Intellectus per Fidem 186
§ 1. De Notione Fidei 186
2. De Necessitate Fidei 186
3. Impedimenta hujus Fidei vivae praecipua 187

CAPUT III.

De Unione Voluntatis per Caritatem 188
§ 1. De Notione Caritatis unitivae 188
2. De Proprietatibus Caritatis unitivae 188
3. De Subsidiis ad Caritatem unitivam consequendam . . 189

PARS V.

De Votis Religionis 190

CAPUT I.

De voto Paupertatis religiosae 190
§ 1. De Notione Paupertatis religiosae 190
2. De Excellentia religiosae hujus Paupertatis . . . 191
3. De Commodis Paupertatis religiosae 192
4. De Obligationibus Paupertatis religiosae 193
5. De Dominio quod salva Paupertate sibi reservare possunt Religiosi 196

§ 6. De Licentia, quae Religiosum liberat a vitio Proprietatis 197
7. De Rebus superfluis 198
8. De Gradibus Paupertatis 199
9. De Exercitio Paupertatis in Vestitu 200
10. De Exercitio religiosae Paupertatis in Victu . . . 201
11. De Exercitio Paupertatis in Habitatione et Supellectili . 202

CAPUT II.

De voto Castitatis 202
§ 1. De Notione Castitatis religiosae 202
2. De Obligationibus religiosae Castitatis 203
3. De potissimis Castitatis amittendae Periculis . . . 204
4. De Mediis conservandae Castitatis 207
De Resistentia in actuali Tentatione 209

CAPUT III.

De Voto Obedientiae religiosae 211
§ 1. De Notione Obedientiae religiosae 211
2. De Praestantia Voti Obedientiae 212
3. De Efficacia Obedientiae religiosae 212
4. De Securitate et Tranquilitate, quae sequuntur ex Obedientia religiosa 212
5. De Rebus in quibus praestanda sit Obedientia . . . 213
6. De iis, quibus vi Voti sit exhibenda Obedientia . . . 214
7. De Gradibus Obedientiae 215
8. De Qualitatibus Obedientiae religiosae 217
9. De vitio Murmurationis Obedientiae religiosae opposito . 219

CAPUT IV.

De Voto Stabilitatis 220
§ 1. De Notione Voti Stabilitatis Benedictinae 220
2. De Obligatione hujus Voti 221
3. Causae excusantes a Stabilitate loci 223
4. De Regulis nonnulis servandis ab iis, qui justa ex causa extra monasterium degunt 225

CAPUT V.

De Voto Conversionis Morum 226
§ 1. De Notione Voti Conversionis Morum 226
2. De Impedimentis solidae Conversionis 226
3. De Observatione necessaria s. Regulae 227



Corrigenda.

Pag.	22	lin.	17	lege:	explicatam pro explicatum
"	27	"	15	"	tam per tum
"	35	"	22	dele:	(Hom. de Orat. 4. 50.)
"	35	"	23	lege:	(Or. 2. de Prec.)
"	46	"	6	"	vocaliter **cum** perfectione
"	69	"	5	"	eliciendi pro elciendi
"	69	"	15	"	benevolæ pro benevola
"	74	"	21	dele:	, post *seu pro*
"	75	"	23	"	, post *negotiis*
"	76	"	8	lege:	sensuum pro sensum
"	92	"	18	"	omittuntur pro omittentur
"	98	"	3	"	præscribente pro præscribende
"	99	"	16	"	ejus pro eis
"	99	"	30	"	manuducatur pro manudacatur
"	116	"	26	"	virtutum pro virutum
"	141	"	13	"	omnium pro omnia
"	145	"	13	"	nobis pro nos
"	156	"	27	"	percipiendos pro percipiendas
"	161	"	17	dele:	esse
"	165	"	19	lege:	comparari pro comparare
"	216	"	12	"	suas pro suos.

Errata minora a benevolo lectore facile corriguntur.

PARS PRIMA

TYROCINII BENEDICTINI,

complectens ea, quæ Novitio Religioso in primo sacri Tyrocinii ingressu scitu sunt maxime necessaria.

§ 1. De Notione Tyrocinii.

Est Dominici schola servitii, in qua ex principiis vel explicite vel implicite revelatis docetur et discitur quomodo nos oporteat servire Deo. Sive ergo nobilitatem magistri, qui in hac schola est Spiritus Sanctus, sive præstantiam scientiæ, quæ sola et unica ad salutem est necessaria, spectemus, facile patet quod FF. Tyrones scholæ huic, præcipue in publicis explicationibus, interesse debeant:

1. magna cum reverentia interna, fundata in viva fide quod in ea nihil aliud quam divinæ sapientiæ placita sint audituri;
2. magna cum reverentia externa, utpote has instructiones percepturi ex ore legitimi superioris, qui hic et nunc organum et instrumentum agit Spiritus Sancti;
3. magna cum aviditate et fame spirituali;
4. cum sedula harum doctrinarum recordatione;

5. cum generosa ac constanti earumdem in praxi applicatione;
6. cum justo denique et salubri timore, ne, si saluberrimas istas instructiones negligant, de ipsis verificetur illud: "Quia tu scientiam repulisti, repellam te." (Oseæ 4, 6.)

§ 2. De Fine Tyrocinii.

Finis hujus scholæ non est alius quam ut discamus, quomodo nos oporteat servire Deo et quidquid conformiter vocationi nostræ agendum sit, quae a nobis non qualecumque, sed speciale prorsus, sublimius et excellentius servitii genus exigit, prout ex communi Ecclesiae sensu ac intrinseca status religiosi ratione et natura patet, consentientibus SS. Patribus et ipsis sacris paginis.

Quia vero hanc scientiam, utpote corruptae naturae nostrae non incognitam solum, sed et invisam et contrariam nemo proprio marte addiscere potest, hinc FF. Tyronibus de manuductore prospectum est, qui ipsos non solum servitii hujus regulas solide et clare edoceat, sed etiam importune ac opportune ad easdem in praxin deducendas paterna vi compellat.

Corollarium: quare oportet, ut FF. Tyrones Deo grati existant pro suavi hac providentia, et quidem practice, scilicet finem hunc, ob quem ad sacrum Tyrocinium missi sunt, saepius serio considerando, imo jugiter sibi ob oculos ponendo et ad illum obtinendum se ipsos exstimulando; serio se applicando, ut tam finem hunc, quam ejus obtinendi media funditus perspiciant et, num eidem pares sint, mature ac serio secum pensent, ne vel gravissimae injustitiae expensas sat magnas inutiliter consumendo, vel irreligiositatis reos se faciant, dum ea, quae ad divinum servitium pertinent, cui se sub voto religioso mancipare intendunt, scire negligunt, vel certe sese periculo exponant decursu tempo-

ris minus contente vivendi in statu religioso, utpote quem sine praevia sufficienti cognitione et quidem practica susceperunt.

§ 3. De Mediis obtinendi finem Tyrocinii.

Praecipuum et quasi unicum finis hujus obtinendi medium est studium asceticum rite institutum. Ascesis enim est scientia practica, quae per principia divinitus revelata non tantum peccata vitare et virtutes docet exercere, sed et mores per consilia evangelica et opera supererogatoria perficit usque ad unionem voluntatis creatae cum voluntate divina per summos christianae pietatis apices; proinde est scientia serviendi Deo, jam non modo quocumque, sed sublimissimo et excellentissimo. Itaque nonnisi hujus scientiae studio mediante, servitii hujus et cognitio et praxis obtineri potest.

Attamen ut hunc in finem conducat studium hoc, sequentes observandae sunt conditiones et regulae:

Studium hoc fiat

1. cum bona, pura ac perfecta intentione;
2. cum humili ac fiduciali divinae gratiae imploratione;
3. viva cum fide, doctrinas asceticas jam non ut doctrinas hominum, sed ut verba Dei respiciente ac proinde nullatenus vanam eruditionem in styli nitore, sed solidam morum conversionem in ostensione spiritus et virtutis (I. Cor. 2, 4) quaerente;
4. cum maxima animi attentione et frequenti reflexione;
5. firmo cum proposito haustas doctrinas practicae hujus scientiae in usum deducendi et omnem seu occurrentem seu mere apparentem difficultatem generose per Dei gratiam superandi;
6. denique saepius quilibet super regulas istas se examini subjiciat, num et qualiter ipsas observaverit, neglectas

in posterum sollicite custodiat, ut sic illas quotidiana exercitatione in praxim deducat et quasi in alteram convertat naturam.

§ 4. **De Adjumentis et Impedimentis profectus spiritualis in Tyrocinio.**

Adjumenta sunt sequentia:

1. practica aestimatio et fervens amor religiosae vocationis suae;
2. fervens desiderium multum proficiendi in spiritu, quod tum quotidiana multiplicium beneficiorum Dei recordatione, tum proposito ob oculos B. M. Virginis aliorumque Sanctorum, praecipue Ordinis nostri, exemplo jugiter nutriri debet et augeri;
3. perfectum sui ipsius dominium;
4. humilis ac absolutissima sui ipsius subjectio ad omnem nutum superioris;
5. pia sollicitudo omnia aut certe praecipua ad spiritum spectantia opera peragendi cum reflexione praevia trium punctorum: "cur, quid, quomodo" agendum modo est?
6. denique obfirmata animi resolutio semper fugiendi omnia, quae Deo displicent, semper faciendi omnia, quae Deo placent, semper ferendi omnia, quae amori displicent proprio, ac semper ad majorem tendendi perfectionem.

His adjumentis e diametro opponuntur:

1. amor hujus saeculi;
2. pigritia, fuga laboris, horror difficultatis ac pusillanimitas;
3. neglectus seriae mortificationis tum internae, tum externae;
4. remissum ac neglectum exercitium practicae ac affectuosae memoriae Dei praesentis;
5. animus ingratus pro beneficiis et gratiis Dei atque earumdem abusus;

6. praesumptio de viribus propriis et modica in Deum fiducia;
7. defectus amoris et candoris filialis erga suum superiorem, denique
8. abjectus animus quavis mediocritate et superficiali virtute contentus.

§ 5. De iis, quæ per decursum Tyrocinii FF. Novellis cavenda vel observanda sunt.

Ante omnia sibi cavere debent:

1. ab omni conversatione cum saeculo ac saecularibus hominibus, tam interna quam externa, cogitatione, verbo et affectu;
2. a vana et profana locutione;
3. a minima quavis in agendo, loquendo et conversando levitate, petulantia, protervia;
4. ab otiosis et superfluis discursionibus extra musaeum et per claustrum;
5. ab omni excessu in cibo et potu;
6. ab omni invidia, amaritudine et aversione seu, quod idem est, ab omni zelo amaritudinis tam erga confratres quam erga superiores;
7. a sinistris suspicionibus, a judiciis temerariis; denique
8. sollicite evitent omnem privatam ac sensualem amicitiam et familiaritatem.

E contra exactissime curandum est a singulis ut erga Deum, proximum ac se ipsos optime sint constituti:

1. per sollicitudinem ad opus Dei et quaevis exercitia spiritualia, per fervorem, modestiam et vivam fidem;
2. per mutuam reverentiam, honorem, caritatem, patientiam, mansuetudinem ac humilitatem;
3. per bonam intentionem, diligens studium orationis, fervens desiderium solidae virtutis ac magnae perfectionis,

curam minimorum maximam ac filialem candorem et confidentiam erga patrem suum spiritualem.

Ceterum, sive ista observare, sive ab illis sibi cavere, aliaque hucusque dicta et quaevis alia regularis disciplinae puncta servare, nullatenus indifferentes quaedam et mere arbitrariae res sunt; nam ex hujusmodi debet dijudicari utrum F. Novellus in spiritu velit proficere necne. Certe, qui in hisce habitualiter negligens, socors et incurius foret, et multo magis, qui haec ex contemptu violaret, is a peccato eoque triplici, inobedientiae scilicet, injustitiae ac irreligiositatis nullatenus excusari poterit, ac insuper multiplicis abusus pretiosi temporis, jacturae gratiarum ac occasionum multa et magna merita sibi acquirendi se reum constitueret.

§ 6. De recta Intentione Tyrocinio præmittenda.

Intentio, quae nihil aliud est, quam deliberata volitio finis, pro diversitate finis diversa esse potest, nempe bona vel mala, naturalis vel supernaturalis, perfecta vel imperfecta; cum vero finis sublimior perfectiorque non sit, quam Deus infinite amabilis, ex consequenti quoque intentio perfectior dari non potest, quam illa, quae ex influxu perfectae caritatis, sive virtuali, sive actuali procedit. Atque talis intentio absolute requiritur ut opera nostra, etiam ex objecto bona, fiant de condigno meritoria vitae aeternae. Insuper vi talis intentionis opera quaevis de se indifferentia atque ipsi adeo naturae grata, nobis fiunt meritoria, adversitates quaeque nobis redduntur summe proficuae, et ipsa opera de se bona Deo magis grata ac nobis utiliora efficiuntur, praecipue si, quod sollicite observandum est, opera tali intentione vestita per manus B. M. Virginis ac operibus Christi Domini unita, Deo offeruntur. Imo si quod opus ex intentione vel actualiter vel virtualiter multiplici peragitur, pariter eidem semper meritum correspondet multiplex. Proinde qui de Deo, de coelo, de animae suae salute

sincere sollicitus est, is plane tum ipsi Tyrocinio, tum singulis suis operibus perfectam hujusmodi intentionem praemittere negligat nunquam et, ut primum proficiendi fervorem in se jugiter conservet et inflammet, hanc ipsam intentionem saepius per decursum Tyrocinii, saltem diebus communionis sacrae, renovare nullatenus praetermittat.

§ 7. De Notis genuini Tyronis characteristicis.

Harum quattuor determinat S. Pater noster, quarum est:

1. ut Deum vere quaerat per bonam intentionem, orationis studium, mortificationis exercitium, generosum solidae et magnae virtutis desiderium, perfectam saeculi renuntiationem et oblivionem, invictam in quibuslibet adversis fortitudinem ac omnimodam respectus seu timoris humani fugam;

2. ut sit sollicitus ad opus Dei, omnia rite disponendo, sollicite se praeparando, cuncta exacte observando, singula cum aedificatione audientium in timore Dei et spiritu humilitatis peragendo;

3. ut sit sollicitus ad obedientiam, regulas, constitutiones et ordinationes omnes, etiam minimas exacte servando, in omnibus se judicio ac voluntati superioris subjiciendo, propriam voluntatem odiendo, ad quaevis indifferenti prorsus animo se praeparando, aequalibus, inferioribus ac superioribus obediendo et quidem juxta normam ac praescriptum sacrae Regulae (cap. 5.);

4. denique ut sit sollicitus ad opprobria, scilicet irrogatas injurias, contumelias, correctiones ac punitiones tacita conscientia amplectendo, quascumque adversitates sive corporis sive animae invicta patientia tolerando, inter quascumque rerum vicissitudines aequam semper mentis serenitatem conservando, in omni agendi ratione sacram simplicitatem praeferendo, implantandae humilitati tam internae

quam externae sedulo studendo, et vel ideo omnibus se viliorem ac deteriorem cum interius credendo tum exterius gerendo.

Atque hoc est speculum minime fallax, ad quod, vos, carissimi, identidem examinare ac, detersis maculis irreligiosae conversationis, fingere et refingere debetis, usque dum prodeat Novitius prototypo huic adamussim similis.

Id Deus, id religio, id vestra monasteria, id salus uniuscujusque aeterna exigit; inspicite sedulo, sed frequenter, sed utiliter.

PARS SECUNDA,

complectens doctrinas practicas, a quarum exacta ac fideli applicatione dependet fructus exercitiorum spiritualium et universim totius disciplinæ monasticæ.

Ab exercitiis spiritualibus debite et fructuose peractis religiosae perfectionis acquirendae practicum studium et ab hoc inconcussa regularis disciplinae observantia arcto adeo nexu dependet, ut labente uno corruat et alterum. Facile ergo patet, rem gravissimi momenti in hac parte tractari et ideo omni virium contentione ejusdem studio esse incumbendum a singulis.

CAPUT I.

De Modo Sacramentalem Confessionem fructuose ac meritorie obeundi.

Quia valor Sacramenti Pœnitentiae ab actibus pœnitentis dependet, plane sine periculo grandis sacrilegii nemo aut ignorare aut nonnisi obiter scire potest, quinam sint hi actus et quae ipsorum requisita essentialia. Haec proinde ex principiis Theologiae modo determinabuntur.

§ 1. De Materia Confessionis Sacramentalis.

Pœnitentia spectari potest vel ut virtus, et sic coincidit cum contritione, de qua agemus § 2., vel ut sacramentum, et sub hoc posteriori respectu hic pertractatur, ac vel ideo ejusdem materia nunc assignanda venit.

Est illa duplex, remota scilicet et proxima. Materia remota sunt sola peccata post Baptismum commissa, ita ut peccata mortalia secundum numerum, speciem et circumstantias speciem mutantes sint materia hujus Sacramenti necessaria, quamdiu vel nunquam vel nonnisi invalide sunt confessa. E contra peccata venialia vel etiam mortalia jam rite confessa et remissa, materia sunt libera.

Unde ut facilius inter materiam confessionis necessariam et liberam discerni queat, sciendum est quod ad incurrendum peccati mortalis reatum tria absolute et copulative requirantur, scilicet:

1. ex parte objecti gravitas materiae vel essentialis, vel accidentalis;
2. advertentia plena ad gravem malitiam actus;
3. in objectum sic cognitum plenus et perfectus consensus.

Materia proxima hujus Sacramenti sunt ipsissimi actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio et satisfactio, qui a Trid. quasi materia vocantur.

§ 2. De Contritione.

Contritio est *animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cetero.* (Trid. sess. 14, cap. 4.)

Detestatio peccati, in qua praecipue consistit contritio, praeteritum respicit, propositum vero circa futurum versatur. Haec definitio praescindit a Nova Lege, in qua contritio efficaciam nullam habere potest sine voto confessionis. Ideo Tridentinum paulo infra addit: *Cum voto præstandi reliqua, quæ ad rite suscipiendum hoc sacramentum requi-*

runtur. Huic congruit definitio D. Thomae: *Dolor est pro peccatis assumptus cum proposito confitendi et satisfaciendi.* (Suppl. qu. I., art. 1.) Contritio duplex distinguitur:

1. perfecta, quae est detestatio peccati orta ex motivo speciali caritatis perfectae seu bonitatis Dei propter se summe dilecti;
2. imperfecta seu attritio, quae est detestatio peccati orta ex alio motivo supernaturali, e. g. ex consideratione turpitudinis peccati vel ex metu inferni aut ex amore beatitudinis aeternae. (Trid. sess. 14. cap. 4.)

De Necessitate contritionis.

Contritio seu pœnitentia sive perfecta cum voto Sacramenti, sive imperfecta cum ipso Sacramento, peccatoribus omnino necessaria est necessitate tam medii quam praecepti ad justificationem et salutem consequendam, ut ex S. Scriptura, ex doctrina Trid., ex constanti traditione nec non ex ipsa ratione constat. Brevitatis causa sit hic tantummodo, quod Trid. docet: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius.* (Sess. 14. cap. 4.) Et sess. 6. cap. 6., ubi odium et detestatio de peccato inter præcipuas dispositiones ad justificationem recensentur.

Praeceptum contritionis obligat modo per se, modo per accidens; obligat per se, quando urget necessitas gravis se reconciliandi cum Deo, scilicet in periculo mortis etc.; obligat per accidens, quando quis reus peccati gravis, sacramentum suscepturus aut ministraturus est etc. Si quis lapsus est in peccatum grave, contritio sine peccato gravi diutius differri nequit. Non est peccatum confiteri veniale aliquod sine dolore, modo dolor circa alia vel saltem unum non deficiat, cum venialia non sint materia necessaria Sacramenti Pœnitentiae.

Contritio debet praecedere absolutionem vel saltem ipsi coëxistere, ut facile patet. Practice autem loquendo requi-

ritur ut dolor praecedat absolutionem, quia nullus pœnitens indispositus absolutionem petere aut accipere potest. Valde etiam suadendum est, ut, si quis longe ante confessionem actum contritionis de peccatis suis fecerit, illum renovet immediate ante confessionem, quamvis per diem et longius durare virtualiter per se possit. Quando pœnitens statim post absolutionem peccatum mortale ex oblivione omissum confitetur, tutius est, novum actum contritionis elicere, quamvis juxta communiorem et probabiliorem sententiam id non requiratur.

De Dotibus contritionis.

Ad validitatem contritionis tum perfectae tum imperfectae quatuor numerantur, scilicet ut sit:

1. interna seu vera, id est corde et animo concepta, juxta illud: **Scindite corda vestra et non vestimenta vestra** (Joel. 2, 13.);
2. supernaturalis, i. e. elicita per auxilium gratiae et ex motivo supernaturali seu cognito per lumen fidei et ad Deum aliquatenus impellente; media enim naturalia ad finem supernaturalem conducere nequeunt.

   Motiva autem supernaturalia quatuor numerantur:

   α) timor pœnae,

   β) spes praemii,

   γ) turpitudo peccati supernaturaliter apprehensa,

   δ) Dei bonitas in beneficiis nobis concessis. Quoties aliquis movetur ex uno horum motivorum, per fidem cognito cum spe veniae a Deo impetrandae, supernaturaliter movetur;
3. summa, i. e. ut peccator detestetur peccatum plus quam omne aliud malum et malit omnia perdere et pati quam peccatum patrare; etenim conversio ad Deum debet esse totalis;
4. universalis, i. e. includere debet omnia peccata gravia saltem implicite. Ratio est, quia remissio fit infusione

gratiae, quae cum nullo mortali peccato simul stare potest.

Notanda:

1. contritio imperfecta respectu venialium peccatorum universalis esse necessario non debet, ut patet ex eo, quod venialia ad materiam confessionis necessariam non pertinent.
2. Contritio non debet esse intensive summa, quia intensitas est quid mere accidentale; gradus enim doloris seu affectus vel conatus major aut minor non pertinet ad essentiam contritionis. Sufficit igitur, ut sit appretiative summa, i. e. ut peccatum aestimatione seu voluntate seria prae ceteris odio habeatur.
3. Attritio formidolosa seu ex metu gehennae concepta sufficit ad justificationem in Sacramento Pœnitentiae, modo sit vere supernaturalis, absolute efficax et tantum materialiter servilis. Ratio est, quia hujusmodi attritio est vera conversio ad Deum et vera aversio a peccato, et quia Trid. dicit attritionem conceptam ex metu gehennae et pœnarum esse honestam et disponere peccatorem ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam. Verumtamen ad attritionem aliquod initium amoris requiritur, per quod intelligitur pius quidam motus supernaturalis, quo peccator efficaciter a peccato avertitur et ad Deum convertitur; non potest enim fieri vera conversio ad Deum, quin Deus inchoative saltem ametur tamquam omnis justitiae fons.
4. Contritio imperfecta seu attritio sine actuali susceptione Sacramenti hominem non justificat, e contra contritio perfecta per se justificat hominem seu remittit peccata mortalia, etiam extra Sacramentum Pœnitentiæ, modo votum Sacramenti sive explicite sive implicite habeatur. Ratio est, quia in attritione caritas, quae justificat, non obtinetur ante susceptionem Sacramenti, in quo infundi debet, ut patet; e contra in contritione perfecta caritas

seu ejus motivum jam adest; ubi autem caritas quantumvis remissa, per quam homo Deo conjungitur, adest, peccatum grave, quod separat a Deo, jam existere non potest.

5. Contritio perfecta praeter culpam gravem et aeternam pœnam remittit etiam partem pœnæ temporalis juxta majorem vel minorem ejus intensitatem,

De Proposito ejusque Dotibus.

Propositum est vera voluntas non peccandi de cetero.

Duplex distinguitur:

1. explicitum seu formale, quo quis de futuro cogitans statuit non amplius peccare;
2. implicitum seu virtuale, quod in ipsa contritione includitur, quin futurum tempus prae oculis habeatur.

Propositum saltem implicitum est omnino necessarium, cum propositum sit pars essentialis contritionis. Verum propositum triplici conditione gaudere debet; scilicet requiritur ut sit firmum, efficax et universale.

1. Firmum, scilicet pœnitens habere debet voluntatem omnino determinatam non relabendi in peccatum, non obstante quocumque incommodo aut timore humano;
2. efficax, seu pœnitens non tantum firmiter statuere debet se non amplius peccare velle, sed etiam adhibere operam et omnia media necessaria pro vitandis peccatis fugiendisque proximis occasionibus etc.;
3. universale, seu extendi debet:
   α) ad omnia peccata mortalia patrata;
   β) ad omnia peccata mortalia etiam non patrata, sed quae patrari possent. Quod autem ad venialia spectat, requiritur et sufficit ad Sacramenti valorem, ut firmum et efficax propositum habeatur saltem unum veniale confessum vitandi.

§ 3. De actuali Confessione Sacramentali.

Confessio sacramentalis est dolorosa, distincta et explicita enarratio peccatorum propriorum post Baptismum commissorum, quae post diligens conscientiae examen occurrunt memoriae, facta sacerdoti jurisdictionem habenti ad obtinendam virtute clavium eorum remissionem. (Trid. sess. 14. cap. 5.)

Ut talis confessio sit valida, requiritur:

1. ut praecedat diligens conscientiae examen, hoc est, factum cum tali diligentia, qualem aliis in rebus gravioris momenti adhibere solent viri pii et docti;
2. ut sub ipsa confessione adhuc perduret dolor sive contritio, saltem virtualiter;
3. ut sit integra formaliter, id est, debent explicari omnia peccata, quae memoriae occurrunt secundum propriam suam speciem ac numerum vel certum, vel verisimilem, vel confusum, et quidem eo modo, quo quis eadem cognovit, nempe vel ut dubia vel ut certa;
4. denique ut fiat cum spe et intentione obtinendae veniæ. Ut autem Deo sit grata nobisque magis fructuosa sequentes habeat proprietates:

Integra sit, simplex, humilis, discreta, fidelis,
Vocalis, mœrens, pura atque parere parata.

(S. Thom. suppl. qu. IX. art. 4.)

Ut facilius peragatur memoriae juvandae causa aliquis in confitendo circa peccatorum enumerationem observandus est ordo, e. g. enarrando peccata contra Deum, tunc illa contra proximum ac denique contra se ipsum commissa, cogitatione, verbo, opere aut culpabili omissione.

Notandum tamen est peccata negative dubia saltem jam semel confessario dijudicanda proposita in confessione nullatenus esse adducenda, sed inter inanes scrupulos rejicienda.

§ 4. De Satisfactione Sacramentali.

Satisfactio nihil est aliud quam compensatio pœnæ temporalis Deo debita propter injuriam ipsi illatam, consistens in operibus pœnalibus et afflictivis, qualia pro statu naturæ nostrae corruptae sunt omnia opera et actus virtutum, etiam mere interni, quæ opera omnia ad tres reducuntur species, nempe ad orationem, eleemosynam et jejunium.

Ejusmodi opera vel sponte sua a pœnitente exercentur, et tunc satisfactio extrasacramentalis, vel a confessario in sacro tribunali imponuntur, et vocantur satisfactio sacramentalis, quae in voto ad valorem, in re ad integritatem Sacramenti spectat. Et ideo, quando pro gravibus peccatis gravis satisfactio injuncta est, nunquam sine peccato mortali omitti, nec extra casum legitimi impedimenti sine peccato saltem veniali justo longius differri potest.

Quia tamen satisfactio sacramentalis raro quantitati et qualitati peccatorum est commensurata, pœnitentes quilibet naturali jure obligantur hunc justae proportionis defectum spontanea satisfactione extrasacramentali supplere, quod facillime et certissime praestant Religiosi suae vocationi ac Regulae fideles, quia isti versantur in jugi praxi orationis, jejunii et eleemosynae, saltem spiritualis, ac in perpetua sui ipsorum abnegatione; quando proinde, ulteriorem semper perfectionem anhelantes, omnia ex imperio caritatis faciunt ac ex motivo exhibendae Deo condignae satisfactionis, plane de intensione et extensione tum caritatis tum contritionis pie in Domino confidere possunt.

§ 5. De Modo practice instituendi Confessionem.

Ante omnia requiritur debita dispositio tam remota quam proxima. Dispositio remota consistit in habituali, vera ac quieta conscientiae teneritudine, quae per jugem recollectionem sollicitam cordis custodiam, accuratum utriusque examinis usum ac habitualem peccati horrorem acquiritur, et tum conscientiae laxae tum scrupulosae e diametro opponi-

tur, ac pro obtinenda perfecta cordis puritate absolute est necessaria.

Dispositio proxima importat studiosam et minime perfunctoriam eorum, quae confessionem antecedunt, comitantur et subsequuntur, observantiam, scilicet ante confessionem: 1. puram intentionem, 2. actus virtutum theologicarum, 3. devotam invocationem S. Spiritus pro cognoscendis, detestandis et emendandis peccatis, 4. sedulam conscientiæ discussionem, 5. seriam contritionem, 6. efficax propositum;

sub actuali confessione: 1. virtualem saltem contritionis influxum, 2. profundam humilitatem internam et externam, 3. sanctam quamdam verecundiam ac sedulam ad monita et instructiones confessarii attentionem;

post confessionem: 1. devotam gratiarum actionem, 2. poenitentiae persolutionem, 3. concepti propositi maturam et generosam executionem, 4. salubrem de peccatis utut propitiatis timorem, mediante frequenti ac dolorosa vitae peccaminosae recordatione, jugi ac severa ejusdem expiatione, circumspecta et reflexa vivendi ratione.

Hunc in finem, quin et pro tranquillanda conscientia plurimum confert gemina industria, 1. ut pro acuenda magis contritione unum ex praeterita vita peccatum idque gravius aut omnino totam quasi vitae malae transactae seriem nobis ob oculos ponamus, de eo explicite doleamus et in sacro tribunali nos accusemus; 2. ut ex venialibus peccatis, quae confessuri sumus, eligamus unum prae ceteris gravius vel frequentius occurrens aut nobis perniciosius ac plurium aliorum peccatorum et defectuum causam existens, ac illud specialiter evitare proponamus. Hac industria acquiritur perfecta sui ipsius cognitio et odium, vita reflexa, et practice tenditur in perfectionem religiosam.

§ 6. De Confessione Generali.

Confessio generalis est omnium peccatorum mortalium a primo usu rationis ad usque praesens tempus commisso-

rum dolorosa, distincta et explicita enarratio, qualis omnibus illis est necessaria, qui nunquam valide confessi sunt, sive id culpabiliter, sive inculpabiliter factum fuerit. Ex generali tamen consuetudine FF. Tyrones mox ab exordio novitiatus hujusmodi confessionem generalem faciant, ad facilitandum negotium solidae reformationis utriusque hominis, quae a perfecta conscientiae puritate incipi debet. Extra hos casus, nisi aliud videatur confessario ordinario, talem disponere confessionem nec merito caret multiplici nec fructu, nempe acquiritur 1. meritum obedientiae, 2. meritum humilitatis heroicae, 3. augmentum caritatis et gratiae, 4. amplior remissio poenae temporalis, 5. major animae puritas, 6. amplior sui ipsius cognitio et consequens inde practicum sui odium, denique 7. si ea, quod summe consultum est, deponatur confessario ordinario, eidem haud exiguum suppeditatur adminiculum pro faciliori ac securiori poenitentis directione. Unde pii quivis Religiosi saepius talem deponere consuescunt confessionem ac singulis annis annualem saltem deponunt, quae respectu peccatorum per anni illius decursum aliquo modo generalis dici potest.

Quod praxim attinet, confessio generalis seu annualis seu semestralis a confessione quavis non differt, nisi sola conscientiae discussione, quae, quum, latius tempus respiciat, etiam ampliorem laborem ac indagationem requirit.

Quodsi deposita confessione generali scrupulus ex confessione, ut saepe fit, suboriatur, malo huic radicitus amputando sic occuratur: Statim indagetur,

1. num objectum anxietatis sit in materia gravi vel per se vel per accidens tali;
2. num adfuerit debita advertentia et deliberatio;
3. gravitatis cognitio, aut saltem
4. culpabilis aut vincibilis ejusdem ignorantia;
5. an illud nunquam confessus fuerit legitime, et sic facilius erit resolutio et prudens.

Quodsi adhuc dubius haerere pergit, omissa ulteriore indagatione, certe inutili et in materia turpi nonnunquam sat periculosa, se de tali peccato proxime sub dubio accuset et reposita omni anxietate judicio confessarii humiliter acquiescat. Quin imo ad evitandam scrupulosam conscientiam expedit, quaevis dubia et anxietates prima vice occurrentes, omissa largiori disquisitione, suo semper aperire confessario, præcipue ubi quis jam semel, adhibita debita diligentia, confessionem deposuit generalem.

Quodsi cui forsitan diabolus sacrilegam tentaret injicere verecundiam, cogitet:

1. imprudenter se agere reticendo cum pudore coram uno, quod sine pudore patravit forsitan non cum uno;
2. se confiteri peccatori, qui scit compati, homini, qui id quod per confessionem scit, minus scit, quam id quod penitus nescit, medico, qui per candorem aegroti non scandalizatur, sed aedificatur;
3. inutilem esse hanc verecundiam, quia hoc ipsum peccatum non jam huic tantum confessario, sed et toti mundo in extremo judicio patefiet;
4. humili hac confessione extingui gehennam et
5. fortitudinem exerceri plane heroicam et vel ideo maxime gloriosam. Plane his serio consideratis nemo erit, qui nolit pietati Patris confiteri, quae fecit, ne severitate Judicis cogatur exsolvere, quod tacuit.

CAPUT II.

De Modo devote et ferventer accedendi ad sacram Communionem.

Ne manducando hunc panem vitae judicium nobis manducemus teste Apostolo (I. Cor. 11, 28.) probare nos ipsos debemus, hoc est, rigide et sollicite ad cibum illum coelestem suscipiendum nos disponere debemus, quia pro quantitate et qualitate dispositionis etiam major erit perceptio fructus ex hoc sacramento.

§ 1. De Præparatione s. Communioni præmittenda.

Non agitur hic de dispositione, quae requiritur, ne communio fiat sacrilega, quae ex parte animae immunitatem ab omni conscientia peccati mortalis, ex parte corporis autem jejunium naturale a media nocte importat, sed potius de dispositione ad fructuose communicandum requisita, quae gemina est, remota scilicet et proxima.

Dispositio sive praeparatio remota quinque conditionibus absolvitur quarum,

1. est puritas vitae non solum a peccatis tam mortalibus quam venialibus sibi caventis, sed et virtutum studio sedulo incumbentis;

2. puritas conscientiae consistens in immunitate ab omni rebelli motu amoris et odii, ab omni inordinata appetentia commoditatis et honoris seu boni sensibilis, ab omni nimis tenera adhaesione ad rem quamcunque creatam, etiam piam, quae sunt tria obstacula intimae conjunctionis cum Christo, quae finis et effectus esse solet s. Communionis;

3. juge exercitium mortificationis tum internae tum externae, sine quo nec puritas vitae nec conscientiae acquiri aut conservari potest;

4. fervens caritas erga Deum et sincera dilectio proximi; nam est sacramentum maximi erga nos amoris divini, figura quoque et symbolum unitatis; denique

5. maxima hujus mysterii aestimatio, quam tum intrinseca hujus sacramenti dignitas tum summa et ineffabilis ejusdem utilitas nostris ingenerare debet animis: prior illa in triplici fundatur titulo, nempe in dignitate personae, quae ibi latet, in intentione finis, ob quem ibi latet, et in extensione amoris, quocum ibi latet; posterior comprobatur effectibus, quos hoc sacramentum producit, non solum praestantissimis, sed et multimodis, scilicet remissione peccatorum venialium ac per accidens etiam mortalium inculpabiliter ignoratorum; edomatione malarum praedominantium passionum, praecipue rebellis concupiscentiae; exterminatione teporis et acediae; augmentatione et corroboratione donorum S. Spiritus, nimirum sapientiae, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiae, pietatis ac timoris Domini. Etiam hoc sacramentum quasi commune quoddam gazophylacium est, ex quo omnia bona tam animae, quam corporis nobis et offeruntur et conferuntur.

Dispositio proxima id omne in se complectitur, quod actuali devotioni seu excitandae seu promovendae deservire potest, ac proinde requiritur:

1. bona et pura intentio mediante hoc Dominicae passionis memoriali manifestandi excessivam Dei erga nos caritatem aliasque quam plurimas perfectiones in hoc sacramento latentes;

2. ardens desiderium et fames spiritualis hujus coelestis cibi; nam pro quantitate hujus famis aut desiderii augebitur etiam quantitas fructus. Hoc desiderium excitandi adminiculum est attentio mentis ac fervor devotionis; prior habetur per breves considerationes de excellentia et utilitate hujus sacramenti, prouti in dispositione remota explicatum fuit; posterior per pia suspiria, preces jaculatorias et amarosas aspirationes, quibus, deposita semel confessione, a nocte prae-

cedenti usque ad instans tempus sacrae communionis nos dormituri ac vigilantes exercere debemus, quasque vel ex Psalmis vel ex aliis libris devotionis sumere aut proprio marte componere possumus;

3. exercitium variarum virtutum, quae hisce nostris suspiriis aut permiscendae aut subjungendae sunt, praecipue fidei, spei, caritatis, admirationis, gaudii, invitationis etc. Atque huic dispositioni proximae ut ad minimum horae quadrantem impendamus, dignitas certe sacramenti, majestas adventantis hospitis divini ac propria nostra exigit utilitas.

§ 2. De actuali Susceptione Eucharistiæ.

Suscipienda est summa devotione tum externa tum interna Externa, quam ipsa S. Regula inculcat (cap. 20) praeter vestium corporisque munditiem, angelicam modestiam, virilem gravitatem et summam importat reverentiam. Interna, praeter actualem et proximam dispositionem § praecedenti explicatum, a nobis exigit profundam humilitatem, quae quasi proprietas est characteristica cujuslibet digne communicaturi. Atque ad hanc humilitatem nos provocat Ecclesia per sacerdotem alta voce ter nobis acclamantem: **Domine, non sum dignus!** Nec adeo laboriosum erit hanc in corde excitare humilitatem, si viva fide, quam pariter Ecclesia in nobis excitare intendit illis verbis: **Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi**, consideramus tum pretium rei, quae nobis datur, tum vilitatem et nihilum personae, cui datur. Suscepto cum viva fide et profundissima humilitate divino hospite oportet, ut nos totos eidem uniamus et quasi unus cum eo spiritus efficiamur, quod fit:

1. eum tenerrimis gaudii et amoris affectibus quasi animae brachiis amplectendo;

2. eundem viva fide intra penetrale cordis nostri adorando;

3. coram illo nos in pulverem nihili nostri humillime demergendo ac

4. affectuosissima cum ipso colloquia instituendo, nunc quidem nos annihilando coram infinita Dei majestate eidemque nos immolando et offerendo eo modo, quo se ipsum jugiter in hoc sacramento Deo offert, nunc vero Regi sæculorum nostram ostendendo subjectionem, plenissime in ipsius voluntatem ac beneplacitum nos resignando, Sponso animae nostrae iterato fidem oppignerando nostram, arrhae loco speciale quoddam propositum eidem offerendo, modo Medico nostro fiducialiter pandamus singula animae nostrae vulnera dicentes: **Domine si vis potes me mundare**, modo Patrem nostrum filiali amore complexi, in simplicitate cordis omnes nostras indigentias et necessitates eidem cum sancta quadam importunitate in modum parvulorum queruli exponamus, aut Fratrem hunc nostrum amore amicitiae prosequentes veram cum ipso morum similitudinem per sedulam divini hujus prototypi imitationem ardentissime appetamus et efficacissime proponamus, aut denique futurum hunc Judicem nostrum, oblato pretioso sanguine, nobis placabilem reddere studeamus; quae omnia duobus versiculis continentur:

Crede, dole, spera, gratesque age, dilige, adora,
Vulnera pande animae donaque sancta pete.

Atque haec quidem et his similia colloquia larga fluent vena tempore consolationis ac devotionis sensibilis; at tempore desolationis et ariditatis in subsidium vocandus est pius aliquis libellus, qui praxim devotae communionis continet, affectus, suspiria aliaque ibi contenta ita labiis pronuntiando, ut tamen magis corde proferantur et animo.

Opportune hic afferri debet regula generalis, quomodo nos gerere debeamus tempore desolationis et ariditatis. In his circumstantiis, sat frequenter occurrentibus, ommissa inutili afflictione et noxia perturbatione, inquirendum est in mali originem. Si in dispositione seu remota seu proxima aliqua a nobis commissa fuit negligentia, ariditas provenit a nobis eidemque per actum doloris de commissa negligentia et firmum propositum occurrendum est. Si sine praevia

culpa praeter ariditatem experimur magnam et quasi specialem aliquam animi inquietudinem ac perturbationem, erit a diabolo, hac ratione nauseam et fastidium hujus coelestis cibi nobis ingerere tentante, qui tamen contemni debet, nobis in humilitate ac patienti hujus infestationis tolerantia facere pergentibus, quantum invocato Dei auxilio possumus. Quodsi ejusmodi ariditas et inculpabilis est et quieta, erit a Deo, qui immissa ejusmodi amaritudine aut punit affectus nimium terrenos aut purgat nos a quaesitu proprii commodi aut certe nos perficit et ad contemplationis unionem disponit. Ceterum credamus firmiter, ejusmodi ariditatem ut poenam aliquam nobis immitti; haec enim persuasio et ab omni suspicione superbiae et praesumptionis est remotior, spectata nostra propria tum infirmitate tum infidelitate verisimilior et aptior ad exercendos actus poenitentiae, resignationis et oblationis ad quaevis dura, in quibus actibus tempore desolationis nos vel maxime et jugiter exercere debemus, quia et praesenti animae dispositioni magis quadrant et ad obtinendam consolationem proxime disponunt.

§ 3. De Agendis post Communionem.

Ante omnia, ut per se facile patet, Deo hospiti repetendae sunt grates ferventissimae ac quantitati collati beneficii commensuratae, quales certo certius erunt, si quae §§ 1. et 2. dicta sunt, sollicite fuerint observata ac in subsidium adhibeatur libellus precum. Praecipue curandum est, ut hunc in finem seligatur locus a strepitu et distractione remotus, et huic negotio tempus impendatur sufficiens, quod unius horae quadrante brevius esse non debet unquam, prout urbanitas, fides et ratio suadet, quodque sine ullo quorumcumque demum negotiorum ac laborum nostrorum dispendio, imo cum eorundem compendio impenditur, quia ab eo, quem intra nos praesentem habemus, hunc opportunissime negotia nostra bene gerendi et modum edoceri et necessariis ad id gratiae auxiliis fulciri possumus.

Neque tamen sola gratiarum actione omnia nostra absolvi debet devotio. Diutius et saltem per totum diei illius decursum perdurare debet, partim frequentius et affectuose recogitando magnitudinem gratiae, quae nobis obtigit, partim singulariter modestiae, silentio, recollectioni ac compunctioni studendo et quasvis inordinationes sive internas sive externas cautissime devitando.

Quare aliquam saltem partem illius diei, quo ad sacram communionem accessimus, impendamus serio nobiscum perpendendo, num et qualis ex tot sacris communionibus reportatus fructus sit, num imminuta sint peccata, debilitata vitia, auctæ virtutes earumque habitus, amor saeculi restrictus et amor Dei magis accensus; quod si nos continuo in eodem, ut ajunt, luto haerere conspiciamus, timeamus ne minus bene dispositi communicantes forsitan judicium manducaverimus. Unde in qualibet sacra commnione quasi in gratiarum actionem pro accepto beneficio Deo hospiti offeramus aliquod propositum saltem per illum diem sollicite observandum. Materia hujus propositi aptissima, utpote ad perfectam animi puritatem, quae pro digna communione praecipua est dispositio, summe conducens, erit, si quis statuet illa die seipsum una alterave vice vincere in re aliqua licet minima, erga quam tamen nimium et quasi inordinate afficitur et vel ideo rei alicui createae arctiori glutine alligatur.

§ 4. De Communione Spirituali.

Communio Spiritualis est desiderium ex viva et per caritatem operante fide conceptum suscipiendi Christum in SS. Eucharistiæ Sacramento, cum affectuosa animae cum ipso unione.

Tria ergo involvit:

1. vivam fidem de excellentia et utilitate hujus Sacramenti ac de omnipotenti bonitate Dei, effectum Sacramenti etiam sine Sacrmenti perceptione conferre volentis et potentis;

2. ardentem caritatem ac consequenter statum gratiae; peccatum enim mortale sicut sacramentalis sic et spiritualis communionis nos incapaces reddit;
3. fervens desiderium Christum suscipiendi sacramentaliter. Primum est dispositio proxima; alterum conditio removens prohibens, tertium ipsa communionis spiritualis essentia.

Effectus communionis spiritualis pene idem est ac sacramentalis, prout docet S. Synodus Trid. sess. 13. cap. 8. *Qui voto propositum illum coelestem panem edentes fide viva, quae per dilectionem operatur, fructum ejus et utilitatem sentiunt.* Proinde facile patet, quod ad eam requiratur eadem praeparatio ac dispositio, quae requiritur ad communionem sacramentalem, licet nec verbalis nec adeo prolixa requiratur, sed tota res pio, humili, contrito ac amoroso desiderio ac suspirio perficiatur, qualia suspiria, supra in § 1. adduximus, quaeque passim in piis libellis inveniuntur nec unquam vere amanti deesse possunt.

Interim utut haec communio non differt a communione sacramentali quoad effectum, differt tamen quoad modum conferendi hunc effectum; hunc enim non producit ex opere operato, sed ex opere operantis, adeo, ut pro majori vel minori caritatis ac desiderii intensione etiam majorem vel minorem producat effectum; deinde effectus communionis spiritualis nulli aut loco aut tempori est annexus, sicut nec ipsa communio spiritualis; semper ergo et ubique elici potest, et sic semper et ubique uniri possumus cum Deo nostro.

O quanta haec felicitas, quantum pro quibusvis vitae circumstantiis, praecipue in articulo mortis, solatium! Quis detrectet mediante hoc tam facili exercitio jugiter adhaerere Deo suo et unus spiritus effici cum eo!

CAPUT III.

De Modo celebrandi devote, assistendi Missæ sacrificio, nec non de modo instituendi devote visitationem Sanctissimi.

Inter omnes actus religionis, quibus Deo debitum exhibemus cultum, longe praestantissimus, soli Deo conveniens ejusdemque infinitae majestati commensuratus est missae sacrificium; quod dum simul latreuticum, eucharisticum, impetratorium et propitiatorium est, omnes omnium Veteris Testamenti sacrificiorum differentias ita in se uno continet, ut etiam in infinitum superet, sive spectetur offerens principalis, qui est ipse Christus Dominus, sive hostia oblata, quae est natura Christi humana Verbo divino hypostatice unita, sive modus sublimissimus nullique creato intellectui pervius, scilicet transubstantiatio panis et vini in corpus et sanguinem Christi, remanentibus duntaxat speciebus quod non tum stupendum divinae omnipotentiae miraculum est, quam plurium miraculorum inpervestigabilis complexus. — Quum itaque Religiosi spectata sola nominis etymologia, specialiter sint obligati, Deo debitum exhibere cultum, plane consequens est eos quotidiana hujus sacrificii seu celebratione seu auditione huic suae obligationi satisfacere et posse quam aptissime et debere quam maxime.

§ 1. De Modo celebrandi Missam.

Ad Missae celebrationem quod attinet, id unum hic adnotare volo, ut quam saepissime et maxime serio perpendatur a singulis praestantia et excellentia divinissimae hujus actionis, ut sic se praemuniant contra tepidorum exempla, laxam aliorum doctrinam et futilia respectus humani terri-

culamenta, ne forsitan decursu temporis his abrepti tremenda haec nostrae religionis mysteria tepide, irreverenter et perfunctorie tractent. Plane irreligiosa ejusmodi sacrificandi ratione non solum induceretur sacrilegae irreverentiae periculum sed et calix benedictionis converti posset in calicem furoris Domini, non tantum sacerdoti, sed et universo populo fideli; si enim Deus, teste D. Prospero, peccantibus sacrorum ministris, sic olim Israeli iratus fuit, ut etiam sacratis locis ac vasis non pepercerit, quas non justissimas irarum flammas concipiet, ubi paria irreverentiae peccata non jam in umbris et figuris, qualia erant Veteris Testamenti sacrificia, sed in ipsa veritate excellentissimi sacrificii committuntur!

Quare nunquam indevota, mimica ac perfunctoria celebratione haereticis scandalo, catholicis offendiculo, Ecclesiae probro, nobis ac universo populo simus praejudicio, nunquam sine devotissima praeparatione ad altare accedamus, nunquam eidem sine profundissima humilitate, sine tenerrima compunctione, sine viva fide et flagrantissima caritate assistamus, nunquam ab eodem sine exactissima gratiarum actione recedamus, et quidquid cap. praec. de praxi devote communicandi dictum est, id omne de devota quoque celebratione dicendum et observandum firmiter credamus. Neque causemur unquam hac ratione plus justo temporis nostris subduci negotiis. Pro toto hoc negotio devote peragendo horae unius spatium sufficit et requiritur: et tantillum temporis negotio gravissimo impendere nolimus, quum non raro inter ipsas officiorum et laborum molestias plures horas male ac nihil agendo perdimus!

Multo minus timeamus, ne devota missae celebratione aliis nos exosos et molestos reddamus; si ultra dimidiae horae spatium sacrificium non protrahimus, nemo nisi qui omni fide et ratione caruerit, justam conquerendi causam habebit. Quodsi tamen propterea aliorum dicteria et sarcasmos subire nos contigerit, cogitemus illud D. Pauli: Si

adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem. (Gal. 1, 10.) Haec de celebratione dicta sufficiunt; modo quae auditionem Missae spectant, pertractemus.

§ 2. De Modo devote assistendi S. Missæ sacrificio.

Cum sacerdos nomine et in persona populi fidelis, praecipue Missae assistentis sacrificet, plane vix alia devotio magis congrua magisque tum attentioni, tum fervori excitando opportuna erit, quam ut idem mente volvamus, quod sacerdos ad aram operatur aut loquitur.

Quum itaque sacerdos in initio Missae, quod ab ingressu ad altare usque ad offertorium extenditur, exerceat

1. confessionem,
2. petitionem,
3. lectionem, nos illum comitemur

α) intenso actu doloris et contritionis de omnibus peccatis nostris,

β) ferventi oratione, per infinita Christi merita nobis vel aliis speciales deposcendo gratias,

γ) gratiarum actione pro vocatione ad veram fidem jungenda professioni verae fidei ac petitioni fidei vivae, suspirando cum D. Augustino: *Domine, da quod jubes, et jube quod vis.*

Missae medium illas actiones continet liturgicas, quae propriam rationem sacrificii constituunt et quarum praecipue sunt, 1. oblatio, 2. praefatio, 3. consecratio, 4. oratio Dominica.

Hinc offeramus Deo

α) cor contritum et humiliatum in sacrificium propitiatorium;

β) sacrificium eucharisticum per tenerrimam gratitudinem pro tot beneficiis tam communibus quam particularibus nobis minime meritis a Deo collatis;

γ) sacrificium latreuticum, Filium Dei jam realiter praesentem Deo offerendo inter vivos adorationis, fidei, spei et caritatis actus;

δ) denique sacrificium impetratorium per illum, quem apud Deum Patrem advocatum habemus, hujus ipsius verbis ab auctore omnis boni petendo gratias in oratione Dominica contentas.

Missae finem imponit sacerdos; 1. communione 2. sumptione, 3. gratiarum actione, quam comitari oportet

α) humili petitione veniae per Agnum, qui tollit peccata mundi,

β) communione spirituali ardentissima ac

γ) gratiarum actione pro collatis hoc sacrificio nobis gratiis.

Neque tamen haec methodus ita congrua est, ut non etiam alia congrue, quin et forsitan fructuosius, adhiberi possit, praecipue ubi quis se nimis aridum, siccum et ad exercitium orationis mentalis parum dispositum ac quasi ineptum deprehendit. Hic enim juvat, infirmitati nostrae nonnihil condescendere et libello precatorio, qui utique in hunc finem veluti subsidiarium adminiculum conscriptus est, aut oratione vocali, uti, miscendo eidem illos ipsos actus, quos supra tribus Missae partibus assignavimus, eo ferme modo, quo mysteria vitae et passionis Christi rosario immiscere consuevimus. Hac industria non solum orandi taedium evitabimus, sed et animi,ad orationem mentalem, quin immo ad novum fervorem disponemus.

Atque illud quidem, quod de mysteriis Passionis Dominicae hic dictum est vel maxime meditari poterit sub Missa; cum enim sacrificium Eucharistiae sit memoriale Passionis Christi et in altari incruento modo peragatur cruentum illud crucis sacrificium, sub eodem contemplabunda mente omnes tragicae istius scenae circumstantias percurrere et optimum

erit stabiliendae phantasiae frenum et aptissimum inflamandae devotionis flabellum.

§ 3. De Visitatione Ss. Sacramenti Religiosis admodum familiari.

Cum templum et in eo tabernaculum sit quasi palatium et thronus regius Dei hominis, plane convenit, ut Religiosis, utpote specialiter in sortem filiorum Dei adlectis ipsiusque veluti aulicis, cubiculariis, quin et contubernalibus, juxta modum aulicorum terreno principi inservientium, nil adeo jucundum et familiare sit, quam illuc ad colloquium et consortium Dei nostri se conferre. Certe id genus obsequii Christi Jesu longe gratissimum est, utpote cujus **deliciae sunt, esse cum filiis hominum.** (Prov. 8, 31.) Quibus deliciis ut potiri et nobiscum esse posset, usque ad consummationem saeculi (Matth. 28. 20.) hoc ipsum sacramentum in suis asservare templis suam docuit et instruxit Ecclesiam.

Quare ut nec Deo eucharistico hasce delicias, nec nobis tot gratias subtrahamus, non solum a visitatione Sanctissimi ordinaria, quae post mensam institui solet, nos nunquam subtrahamus, sed potius legitime ab ea impediti eandem alio tempore suppleamus. Imo lege quadam inviolabili certa statuamus tempora pro speciali et extraordinaria hujusmodi visitatione, scilicet

1. mane ac vespere prima et ultima eidem deferamus obsequia nostra, sive deinde id fiat in ecclesia, quod quidem foret longe convenientissimum, sive in cella facie aut certe corde ad ecclesiam converso;
2. post conversationem, recreationem aliudve solatium corporale, praecipue longius protractum, tum excessuum commissorum veniam petendi, tum mentem a distractionibus recolligendi gratia;
3. tempore tentationum, adversitatum, afflictionum, sive hae sint publicae sive privatae, ad illum confugiendo, qui nunquam non paratissimus est ad adjuvandum nos,

immo nos ipsos ad se invitat clamans: **Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis et ego reficiam vos** (Matth. 11, 28.);

4. ante quodlibet gravioris momenti negotium ad exemplum Moysis et Davidis consulentes Dominum et in eo solo omnem nostram fiduciam reponentes;
5. post cujuslibet negotii bonum successum, omnium bonorum fonti gratias agendo sicque nova gratiae auxilia nobis promerendo.

Maxime tamen curandum est, ut haec visitatio nostra semper animetur viva fide et magna caritate; unde praemittenda est bona et pura intentio, cujus praecipuum ac principale motivum debet esse, quia hoc devotionis genus Deus eucharisticus non solum meretur, sed et veluti suas delicias ardenter exoptat. Eliciendi sunt actus fidei, adorationis, spei et petitionis, caritatis et oblationis sui ipsius ad omnem Dei voluntatem et gloriam, contritionis et humilitatis ac communionis spiritualis, junctis precibus, quas seu devotio privata seu necessitas specialis dictaverit. Dictabit autem certe ferventissimas, si quidem non ex arida ac frigida consuetudine, sed prompto ac devoto animo et cum supra dicta intentione fiat nostra visitatio. Hunc in finem etiam quam maxime conducunt distributae in libello precatorio pro singulis hebdomadae diebus devotae considerationes ac piae petitiones, utpote quae actuali visitationis exercitio optime quadrant.

CAPUT IV.

Praxis bene ac meritorie instituendi Orationem.

Amplissima est capitis hujus materia, simul autem scitu summe necessaria, quia oratio occupatio Monachorum est essentialis, et quasi continua tum vi vocationis, tum vi fundationis ipsis praescripta. Accedit, quod bona ac devota oratio clavis coeli sit, quae omne genus gratiarum nobis confert adeo ut, qui sciverit bene orare, nullas non gratias a Deo secure expectare possit. Itaque materiam hanc tam pro sua amplitudine, quam pro sua necessitate in tres articulos dividimus:

I. De oratione in genere,
II. de oratione vocali,
III. de oratione mentali.

ARTICULUS PRIMUS.

De Oratione in Genere.

§ 1. De Notione Orationis.

Adaequata orationis definitio est, quod sit elevatio mentis ad Deum, qua vel bona a Deo, aut veniam delictorum per merita Christi petimus, vel pro acceptis beneficiis gratias agimus et Deum laudamus. Essentia proinde orationis consistit in ascensu sive elevatione mentis ad Deum; est enim oratio internum colloquium cum Deo, quod fit ab intellectu tamquam lingua et interprete voluntatis; quale colloquium certe nec dari nec cogitari potest sine elevatione mentis a terrenis et infimis ad Deum.

Partes orationis accidentales sunt: petitio, seu obsecratio, qua Deum per suam bonitatem contestamur, ut peccatorum venia concessa nos exaudiri faciat; gratiarum actio, utpote novae gratiae petitio, ac Dei laudatio, hoc est divinae excellentiae honorifica confessio; prouti has partes requirere videtur D. Paulus: **In omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.** (Phil. 4, 6.)

§ 2. De Dignitate et Excellentia Orationis.

Per orationem, prout docet D. Thomas, *homo Deo reverentiam exhibet, in quantum scilicet ei se subjicit et profitetur orando se eo indigere, sicut auctore suorum bonorum.* (2. 2. quaest. 83. a. 3.) Unde manifestum est, quod oratio est proprie Religionis actus; Religio autem est inter omnes virtutes morales prima et praecipua. Praeter hanc praerogativam, quam oratio a virtute Religionis, cui veluti actus subordinatur, mutuat, alteram habet excellentiam quamdam intrinsecam et quasi naturalem, quia ex sua natura est colloquium, conversatio, sermocinatioque cum Deo, et quidem talis, ut ait D. Chrysostomus, in qua postulamus, quidquid desideramus, et obtinemus, quidquid postulamus, et quidem sine metu repulsae, utpote Christo ipso fidem suam interponente ac dicente (Joan. 16, 24.): *Petite et accipietis.* Ex quibus proinde jure concludimus cum D. Chrysostomo: *Ipsum hoc maximae insipientiae signum est, ignorare magnitudinem honoris precum, neque amare preces, neque mortem putare animae non adorare Deum.*

§ 3. De Utilitate Orationis.

Quantum ab excellentia intrinseca, tantum ab utilitate pariter commendatur oratio. Utilitatem hanc ex fructibus orationis metiri oportet, horum est

1. Meritum non solum exauditionis, sed et virtutis seu actus religionis;

2. intimior nostrae naturae cum Deo unio, quae est ipsissima beatitudo tam viae quam patriae;
3. acquisitio scientiae Sanctorum, quae unice ad salutem est necessaria et orationi adpromissa juxta illud Jacobi 1, 5: **Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter;**
4. extirpatio vitiorum, victoria tentationum et effugatio daemonum seu aperta vi seu occulta fraude nos impugnantium, attestante id ipso Christo Domino (Matth.17, 20.): **Hoc autem genus daemoniorum** (ubi praecipue Asmodaeus) **non ejicitur nisi per orationem et jejunium;** unde etiam monet nos: **Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem** (Matth. 26, 41.) Nempe teste D. Laurentio Justiniano, et forsitan propria cujusque experientia, *diabolus nihil magis timet, quam deprecantium devota suspiria, nam aeque orationis quemadmodum gehennae crematur incendio;*
5. augmentum fervoris spiritus mediantibus copiosioribus ac efficacioribus gratiis, quas nobis Deus intuitu orationis confert, adeo ut verissimum sit illud D. Augustini: *Recte novit vivere, qui recte novit orare,* quia scilicet, teste D. Joanne Chrysostomo, *nulla re amplius in sanctimonia proficimus, quam arte bene orandi* (Hom. de Orat. 4. 50.), (or. II. deprec. l. c.); tales enim cnm Deo commercium habent; hinc sancti non esse nequeunt;
6. quod sit medium quoddam universalissimum in quacumque seu corporis seu animae necessitate propter promissiones universales ac illimitatas a Deo orationi factas (Matth. 7, 7 et 8): **Petite et dabitur vobis, quærite et invenietis, pulsate et aperietur vobis. Omnis enim, qui petit, accipit, et qui quærit, invenit, et pulsanti aperietur,** ut adeo bene et vere dixerit quicumque dixit: *Oratio homines quodammodo omnipotentes facit, quia quod Deus potest imperio, hoc orans precibus;* quin

etiam de discretione spirituum accurate disseruit dicens, *esse aliquos dæmones, qui sequuntur animi motus, et nostras affectiones ad malum sæpe convertunt. Quisquis ergo, o filii,* dicebat is nobis, *vult exigere dæmones, prius in servitutem redigat affectiones animi; cujus enim quis subjugaverit affectus, ejus quoque expellit dæmones. Oportet autem vos paulatim vincere affectiones, ut earum expellatis dæmones. Si quis autem gulam superavit, expellit ejus dæmonem,* Ex quo plane fluit summam esse Religiosorum felicitatem, utpote quibus datum est utilissimae huic occupationi prope omne vitae suae tempus impendere, indeque et sibi et aliis ingentia meritorum ac spiritualium emolumentorum lucra acquirere; id quod certe illi omnes perbene norunt, et exinde suam vocationem amant et aestimant, quicumque ex illorum numero non sunt, quorum Deus venter est, et qui toti quanti animales, non capiunt ea quae sunt spiritus.

§ 4. De Necessitate Orationis.

Oratio non tantum utilis est sed etiam necessaria, saltem necessitate praecepti, et quidem tam naturalis quam positivi juris divini. Naturalis quidem, quia summa ac illimitata Dei majestas ex una parte omnimodam subjectionem et dependentiam, ex altera vero parte nunquam interrupta ipsius erga nos liberalitas summam a nobis exigit gratitudinem, et quidem utramque in lege sive jure naturali fundatam: ergo hoc ipso ex eodem jure nos ad orationem obligat, utpote per quam maxime et nostram Deo subjectionem exhibemus et gratitudinem.

De praecepto juris divini positivi abunde constat ex S. Sriptura, praecipue Novi Testamenti, quod plurimis in locis orationem non jam consulit tantum, sed et praecipit, prouti unanimi ore docent Ecclesiae Patres et Concilia, ex quibus declaravit Catechismus Romanus, de oratione sic

dicens part. 4. cap. 1.: *Igitur docendum est, quam sit oratio necessaria, cujus praeceptum non solum consilii causa traditum est, sed etiam necessarii jussi vim habet* quod a Christo Domino declaratum est illis verbis (Luc 18, 1.) **Oportet semper orare.** Hanc orandi necessitatem ipsa etiam illo Dominicae precationis prooemio, ostendit Ecclesia: *Praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati, audemus dicere.* Hujus autem praecepti obligatio gravis est tum respectu cujuscumque christiani, quoties scilicet urget gravis necessitas sive corporis sive animae, privata vel publica, aut periculum grave honoris divini, religionis aut fidei, in quibus casibus plerumque indici solent orationes ac supplicationes publicae, tum vero vel maxime respectu religiosorum, qui, sicut ad obligationem tendendi ad perfectionis consummationem copiosiori et efficaciori indigent gratia, sic pariter frequentiori ac ferventiori opus habent oratione, sine qua proximum amittendae tum vocationis tum gratiae periculum non evadent, quia Religiosus hac orationis panoplia destitutus, teste D. Thoma Aquinate *miles est inermis et faciliter superatur.* (2. 2. qu. 82. art. 13.)

§. 5. De Conditionibus bonae Orationis.

Cum Deus promissionem suam de infallibili orationis effectu nonnisi certis alligaverit conditionibus, eas perbene scire oportet. Sunt autem aliae quae orationem praecedunt, aliae quae eam comitantur, aliae quae subsequuntur.

Conditio orationem praecedens est unica, scilicet praeparatio juxta illud Ecclesiastici: **Ante orationem præpara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.** (Eccli. 18, 23.)

Haec autem praeparatio alia est remota alia proxima. Prior consistit in probitate vitae, puritate cordis et recollectione mentis. Posterior involvit brevem sed practicam et affectuosam considerationem de qualitate seu gravitate negotii pertractandi, hoc est ipsius orationis. Practica autem

erit et affectuosa per actum fidei vivae de majestate illius cui supplicamus, et humili agnitione vilitatis illius qui supplicat; per actum firmae spei de bonitate illius qui oratur, et viva persuasione indigentiae summae illius qui orat; per actum denique caritatis saltem initialis junctum actui doloris de peccatis commissis et proposito emendationis; sicut enim Deus peccatores non audit (Joann. 9, 31.), econtra cor contritum et humiliatum non despicit (Ps. 50, 19.), quia oratio humiliantis se penetrat nubes. (Eccli. 35, 21.)

Conditiones orationem concomitantes sunt quatuor: scilicet

1. Attentio excludens distractionem voluntariam;
2. petitio in nomine Christi, scilicet omnia petendo in nomine Salvatoris et nihil petendo adversus utilitatem salutis;
3. fiducia exauditionis inconcussa, cujus argumenta sunt omnipotentia illimitata, misericordia infinita, fidelitas fallere nescia, promissio absoluta, benignitas inexhausta, liberalitas jam toties experta, mediatio D. N. J. Ch. certissime exaudienda;
4. resignatio perfecta sive implicita sive explicita, tam quoad affectum quam quoad successum orationis.

Conditio denique orationem subsequens est perseverantia, quae, etiam si non statim exaudiatur oratio, orare tamen sive ex diffidentia sive ex impatientia non intermittit; imo, quae semper in oratione persistit, si non formali et explicita, certe virtuali et implicita, dum omnia recto ordine rectoque fine facit: *Semper clamat qui semper amat!*

§ 6. De Causis impedientibus devotam Orationem.

Devota oratio duo involvit, scilicet attentionem intellectus et fervorem affectus; quidquid ergo alterutrum vel imminuit vel destruit, devotae orationis impedimentum audit.

Attentio orationis est voluntaria animi applicatio ad sensum orationis; fervor est intensio affectus excludens ace-

diam ac teporem. Itaque devota oratio excludit voluntariam distractionem et importat sedulam animi ad orandum applicationem. Et haec est devotio substantialis ad orationem necessaria et sufficiens, quae breviter definitur, quod sit promptitudo voluntatis et fervor affectus ad ea quae sunt cultus divini. Atque haec devotio nunquam nisi ex nostra culpa nobis deest, proindeque ne unquam nobis desit, (deesse autem nunquam debet, cum ad bene orandum aeque ac ad bene operandum ac consequenter ad obtinendam aeternam salutem sit absolute necessaria) tum summis a Deo efflagitanda est precibus, tum nutrienda frequenti meditatione fidei veritatum praecipue illarum, quae acediam exterminant, bonorum operum studium inflammant mentemque a terrenis ad coelestia avocant. Quodsi dictae voluntatis promptitudini accesserit quaedam suavitas et gustus ac sapor, sive mere internus et in sola residens anima, sive etiam redundans in ipsum corpus et sensibilis, tunc habetur devotio actualis, integralis et affectiva, quae tamen nec ad bene orandum nec ad perfectionem est necessaria, licet ad utrumque multum proficua. Haec devotio etiam citra omnem culpam nostram nobis deesse potest; unde propter ejus absentiam non debemus perturbari, sed tantum pro ea, in quantum devotionem substantialem perficit, obtinenda humiliter et resignate Deum orare ac liberaliter prorsus mortificationis studio ad eam obtinendam nos praeparare. Quidquid itaque seu destruit seu imminuit attentionem intellectus et fervorem affectus, illud omne et solum destruit devotionem substantialem orationis seu devotam orationem. Jam vero hoc duplici tantum ratione contingit, nimirum acedia, quae est tepor animi refugientis bona laboriosa inchoare et inchoata perficere, et distractione, quae est evagatio quaedam et remotio intellectus a materia vel objecto orationis, dum imaginatio rebus inutilibus immoratur.

Distractio vel contingit nobis plane invitis ac reluctantibus, et tunc est distractio involuntaria, quae non vitiat

orationem, vel contingit nobis cooperantibus, et tunc dicitur voluntaria distractio, quae non solum orationem vitiat, sed nonnunquam omnino annullat auferendo attentionem et elevationem mentis, quae est orationis essentia.

Distractio voluntaria denuo duplex est: nimirum voluntaria in se et directa, aut voluntaria in causa et indirecta. Prior datur si libere ac deliberate et advertenter immoramur cogitationi vel imaginationi cum oratione incompatibili; posterior dum aliquid vel agimus vel omittimus, unde naturaliter consequi solet mentis evagatio.

Ad eliminandas ab oratione distractiones absolute necessarium est removere causas earundem tam remotas quam proximas. Causae distractionum remotae sunt:

1. Animi inquies et perturbatio ex malis passionibus, inordinatis affectibus et immoderatis desideriis ortae; hae enim imaginationem secum abripiunt et in objectis sibi correspondentibus figunt;
2. sensuum, oculorum praecipue, infrenata libertas ac curiositas, quæ phantasiam et memoriam millenis implent imaginibus tempore orationis plerumque importunius recurrentibus;
3. curiositas intellectus nunquam non cogitationibus vanis, curiosis ac statum parum decentibus libere occupati, qui raro recollectus, suis cogitationibus ac phantasiae imperare aut nescit aut negligit, ac proinde cor generat prorsus animale, terrenum, mundanum ac saeculare, quod non percipit nec sapit ea, quae sunt spiritus;
4. inordinata effusio cordis in occupationibus exterioribus sui officii, vel nimia negotiorum multitudine attentionem obruens, vel impetuosa activitate attentionem fugans, vel nimis anxia de successu sollicitudine attentionem et devotionem exsiccans.

Causae distractionum proximae sunt:

1. Omissio praeparationis tum proximae tum remotae, quae parag. praec. fuit explicata;
2. culpabilis omissio practicae et affectuosae recordationis Dei praesentis;
3. sensuum, oris praecipue et oculorum libertas;
4. habitualis mentis evagatio seu neglecta recollectio;
5. voluntaria in resistendo distractionibus negligentia, aut certe resistentia nonnisi remissa, languida et improportionata, quae acediae et tepiditatis proles est infausta;
6. culpabilis omissio illorum adminiculorum, quae pro conservanda mentis attentione sub sancta psalmodia praescribuntur partim parag. sequenti, partim art. II. § 7.

   Denique D. Bernardus addit causam

7. remorsus conscientiae ob commissam culpam; atque hic D. Doctor causas distractionum quatuor veluti verbis concludit, dum ait: *Sensus egens*, *cura pungens*, *culpa mordens*, *irruentia phantasmata.*

Habent quidem distractiones involuntariae etiam suas causas, quas tamen removere minime in nostra potestate est; sunt autem tres, videlicet; intrinseca nostrae naturae corruptio, unde oritur mentis instabilitas; malitia et invidia diaboli orationem vel maxime impedire volentis; benevola Dei probatio nos aut castigantis aut a scoria amoris proprii mundantis.

§ 7. Quid tempore distractionis practice agendum.

Cum oratio juxta § 4. sit necessaria saltem necessitate praecepti, Deus, qui ad impossibile aliquem obligare non potest, non potest nobis non dare gratiam bene orandi, si modo facimus hunc in finem, quod in nobis est, videlicet causas distractionum removendo et media devotae orationis adhibendo. Hunc in finem opus est ante omnia, ut attendamus, num distractiones nostrae sint voluntariae vel involuntariae. Quodsi deprehendimus eas esse voluntarias, mox

in earum causas et radices indagandum est, quae parag. praec. sunt assignatae, eisque detectis media opponenda sunt apta: scilicet

1. Tranquillitas animi ab omni inordinata passione et affectione liberi, quae jugi ac liberali mortificatione et abnegatione amoris proprii ac constanti renuntiatione hujus saeculi obtinetur;
2. exacta et rigida sensuum, oculorum praecipue, custodia;
3. juge recollectionis studium et frequens lectionis spiritualis exercitium, ut animus sanctioribus ideis impleatur et piis aspirationibus adglutinetur;
4. diligens et affectuosa ad orationem praeparatio per mentis elevationem mediantibus actibus fidei et humilitatis, spei, contritionis, amoris et religionis;
5. humilis, fervens ac constans oratio ad Deum pro obtinendo dono devotae orationis, jugiter, praecipue urgente distractione, suspirando: **Domine, doce me orare.** (Luc. 11, 1.)

Recollectionis, quum tanta sit necessitas ad bene orandum, oportet, ut brevis ejusdem subministretur notio et mediorum illam acquirendi cognitio. Collectio seu recollectio animi nihil aliud est, quam assidua attentio sive exercitium memoriæ præsentis Dei, ex qua oritur ille status animæ, cujus vi inter quasvis negotiorum aut hominum turbas illo interno fruitur silentio ac quiete, qua sibi ipsi semper invigilat et uni Deo jugiter adhæret.

Hoc exercitium tres animæ potentias afficit et sic totam animam cum Deo conjungit. Memoria enim de Deo præsente nos admonet; intellectus viva fide ac simplici intuitu, absque omni phantastica imaginatione, Deum præsentem attendit, et voluntas in Deum præsentem tendit per aspirationes fervidas præsertim caritatis, aut etiam per alias præsenti animæ statui, illi, quod præ manibus est negotio, ei, quod celebratur festo, congruas, aut triplici vitæ spiritualis

viæ correspondentes. Hujusmodi autem aspirationes semper breves esse debent, nec nimium multæ et diversæ, et in Deum, ut intime nobis præsentem, directæ. Abundanter vero colligi possunt tales aspirationes ex materia meditationis et examinis particularis, ex psalmis vel ex aliis libellis devotis, præcipue ex Emo. Card. Bona, in Via Comp. ad Deum cap. 6. et sequentibus.

Ad hujus recollectionis tum actum tum habitum, acquirendum tria dantur adminicula: videlicet

1. Cura silentii quoad tempus, quod obedientia, prudentia et taciturnitas determinant; quoad materiam loquendi, quæ debet esse bona et honesta, ad ædificationem scilicet et veram utilitatem audientium; quoad modum, qui debet esse circumspectus, prout explicat Petrus Blosius ep. 101: *Circumspecte loquimur, si charitas, si necessitas, si utilitas loquendum esse suadeant; si de Deo, gloriose; si de nobis, humiliter et modeste; si de proximo, ædificatorie;* et si quid ad animum recreandum dicimus, sit id sale evangelicæ sapientiæ aut festiva intelligentia aut ratione conditum, prout monet D. Basilius de institut. regul.;
2. custodia cubiculi, e quo nunquam prodeundum nisi justo necessitatis, utilitatis aut caritatis titulo urgente, animoque ad Deum elevato pro impetranda cujusque offendiculi fuga; nec extra illud conversandum nisi auribus ad mala et vana obduratis ac oculis contra objecta periculosa, vana et curiosa occlusis;
3. fuga occupationum nimis distrahentium; vitando scilicet nimiam negotiorum multitudinem, quæ obruit; nimis præcipitem in explendis negotiis solertiam, quæ spiritum effugat, quæque, dum id quod agit, deproperat, et ad id, quod nondum agit festinat, nec præsenti nec futuro satisfacit; nimis anxiam de negotiorum successu sollici-

tudinem, cui obviandum est generosa fiducia in divinam providentiam, virili contemptu humani judicii ac practica observatione illius s. Regulæ, c. 43: *Nihil operi Dei præponatur.*

His ergo mediis acquiritur et nutritur recollectio, quæ potissimum et efficacissimum adminiculum est, distractiones imminuendi immo successive eradicandi.

Distractiones involuntariæ, cum orationem non corrumpant, medium per se nullum exigunt, nec proprie admittunt, quia illarum causas removere in nostra haud est potestate. Quia tamen non raro Novellos inordinata pusillanimitate dejiciunt, et adhibita discreta industria imminui possunt, hinc etiam de his breviter agendum. Si distractiones involuntariæ oriuntur a natura corrupta, hoc est, ex vivacitate, instabilitate et volubilitate phantasiæ, supplicandum est Deo, ut corruptam naturam sanet per gratiam; mens per lectionem spiritualem melioribus ideis est implenda, et per sedulum practicæ et affectuosæ divinæ præsentiæ recordationis exercitium assuefacienda, ut discat attendere et adhærere Deo.

Si proveniunt ex speciali permissione Dei vel nos castigantis vel nostram fidelitatem probantis vel ab amore proprio nos purgantis, manus Domini, amoroso osculo excipienda est inter continuatos actus pœnitentiæ, satisfactionis, patientiæ, humilitatis, resignationis, oblationis etc. Ab hujusmodi actibus nunquam est desistendum, etiamsi nobis videantur non tam ex corde, quam ex solo ore procedere; sed tunc de hac ipsa cordis nostri duritia nos humiliemus coram Deo, eliciendo simul desiderium, hos aliosque actus cum summa affectuum intensione et divinæ majestatis beneplacito perficiendi. Semper tamen solliciti simus, ut animi nostri sinceritatem constanti patientia in repellendis distractionibus, hoc est animum identidem ad orationem revocando, comprobemus.

Si autem, quod plerumque fit, oriuntur a diabolo, resistamus ei fortiter in fide, nec ob frequentiam, nec ob vehementiam, nec etiam ob commissam hinc inde in resistendo negligentiam animum deponendo; in fide seu inconcussa fiducia quod Deus non patiatur nos tentari supra id quod possumus, et quod distractiones involuntariæ nobis reluctantibus cedant ad meritum, interim identidem humiliter et ardenter ad Jesum suspirando clamantes: **Jesu, fili David, miserere mei.** (Marc. 10, 47.)

Quodsi sub oratione diabolus non jam distractiones tantum sed et tentationes, e. g. blasphemiæ, luxuriæ, infidelitatis ingerat, mox ante orationis initium contra has tentationes protestandum; iis actus fidei, adorationis, amoris et castitatis sunt opponendi, adjecto pacto, quod hos actus velimus habere pro repetitis, quotiescunque diabolus suum repetierit assultum, vel quoties corde, oculis aliove signo Deum imploraverimus. Atque præmissa tali protestatione tentationes quæcunque exclusa quavis perturbatione et anxietate veluti catelli in via latrantes contemnendæ sunt, et nunquam iisdem externe, e. g. capite abnuendo vel screando etc. resistendum; immo ne interne quidem, saltem ubi animadvertimus per ejusmodi positivam resistentiam illas augeri et invalescere.

Præter ista media bonæ orationis dantur etiam quinque adminicula, quæ haud parum facilitant exercitium orationis. Horum primum est mortificatio tum interna tum externa; sunt enim recepta inter mysticos adagia: *Devotionem obtinet, conservatque mortificatio, cum qua fervescit vel tepidatur quævis oratio.* Qui velit ariditatem superare oportet pœnalia opera frequentare.

Secundum adminiculum est libertas spiritus, vi cujus nulli certæ orationi scrupulose addicti simus, quin eam exigente sic indispositione mutare velimus e. g. mentali substituendo vocalem, et ipsam orationis mentalis materiam vertendo in materiam orationis vocalis. Si enim quis se om-

nino violenter cogere vellet, is præter cerebri ac pectoris debilitationem ipsum etiam orationis incurreret fastidium, aut omnino de obtinendo orationis dono desperaret. Nec enim putetis, ait S. Theresia in via perfect. cap. 25. *Educi parum profectus orando vocaliter perfectione; vobis enim dico esse valde possibile, quod recitantibus vobis* Pater noster *vel aliam orationem vocalem, Dominus vos exaltet ad perfectam contemplationem.*

Tertium adminiculum est variatio modi orandi, qui, docente D. Ignatio triplex est, nempe

1. Per inspectionem sui ipsius;
2. per ruminationem obvii textus;
3. per suspiria et pausas. Triplicis hujusmodi variationis exempla habentur in *Via compendii* cap. 8. et seqq. (Card. de Bona.) Quartum adminiculum est brevis reflexio cuilibet orationi subjungenda, examinando orationis successum et defectus eorundemque radices, has exstirpandi media, juncto de commissis defectibus dolore, et emendationis proposito.

Quintum denique reflexa transitio ab una oratione ad aliam, involvens peractæ orationis oblationem, pro nova bene instituenda gratiæ petitionem, novam intentionem et affectus intensionem.

Removeamus itaque devotæ orationis impedimenta, ut semper bene oremus; recte enim novit vivere, qui recte novit orare.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Oratione vocali.

§ 1. De Notione et Diversitate Orationis vocalis.

Oratio vocalis, quæ prima orationis in genere species est, breviter describi potest, quod sit elevatio mentis ad

Deum, qua Deus mente simul et ore rogatur. Proinde oratio vocalis præter attentionem mentis et affectum cordis, qui cuilibet orationi essentialis est, insuper involvit officium oris seu vocis, adhibendo scilicet verba vel formalia vel virtualia, hoc est scripturam, nutus, lacrymas, tunsionem pectoris, elevationem oculorum aut manuum. Oratio vocalis est vel publica vel privata. Prior est quæ fit a communitate vel nomine communitatis ab ejus ministro publico sive ad id designato, seu deinde fiat in loco publico seu privato. Posterior est oratio, quæ fit a persona privata vel nomine privato, etiamsi fiat publice et pro ipsa communitate. Prior quoad ipsa verba et precandi formulas ita determinata est publica auctoritate, ut privato arbitrio eam immutare vel in minimo nefas sit. Posterior cujuslibet arbitrio penitus relicta est, ita ut pro libitu immutari queat.

§ 2. De Antiquitate Officii canonici seu Psalmodiæ sacræ.

Sicut ea, quæ art. I. de oratione in genere dicta sunt, tam de oratione vocali, quam de oratione mentali intelligi debent, sic pariter quæ in hoc articulo de oratione vocali publica suggeruntur, orationi quoque privatæ applicari non tantum possunt sed et debent.

Agimus autem hic de oratione tantum publica, quia hæc vitæ monasticæ et potissima occupatio est et gravissima obligatio in titulo religionis et justitiæ fundata; unde præmissis illis, quæ hujus orationis æstimationem instillare possunt, ea deinde explicabuntur, quæ ipsius praxin tum faciliorem tum utiliorem reddere possunt. Est autem hæc oratio publica statui nostro adeo necessaria, ipsissimum officium canonicum seu psalmodia sacra; pro cujus commendatione vix magnificentius quidpiam dici poterit, quam quod sit et ætatis et institutionis apostolicæ; quod comprobare adeo non est operosum, ut illa D. Augustini regula sufficiat, scilicet: *Quod semper, quod ubique servatum fuit in ecclesia,*

nec a conciliis generalibus aut summis pontificibus legitur institutum, meritissimo censetur esse traditionis apostolicæ.

Jam vero constat ex monumentis historiæ ecclesiasticæ, quæ Em. Card. de Bona in suo opere, quod de divina psalmodia inscripsit, a primo Ecclesiæ sæculo usque ad sæculum XVII. collegit, psalmodiam (loquendo de psalmodia quoad substantiam) in utraque Ecclesia communi usu fuisse receptam, quin illius origo seu in concilii alicujus canonibus seu in pontificum decretalibus inveniatur. Sed nec desunt in rem hanc argumenta positiva. Sic legimus Matth. 26, 30 Christum Dominum finita cœna et hymno dicto exiisse in montem Oliveti. Iterato in actibus Apostolorum legitur, Apostolos ad horam orationis nonam, sextam etc. ascendisse in templum, ubi scilicet quasi succedentibus sibi invicem Levitarum et Cantorum choris, prout a Davide dispositum fuisse scimus (I. Paral. 25.), psalmi et hymni decantabantur. Imo D. Paulus præcepit, ut fideles sese jugiter occupent cultu Dei **docentes et commonentes in psalmis, hymnis, canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus Deo.** (Coloss. 3, 16.) Unde D. Augustinus (epist. 29, num. 54.) directe asserit, *hymnorum et psalmorum cantum ex Scripturis defendi posse, cum et ipsius Domini et Apostolorum habeamus documenta, exempla et præcepta.*

Neque lex ista lapsu temporis abolita est, ut potius II. sæculo, veluti jam communi usu recepta, in ecclesia Antiochena, introducta alternatim cantandi consuetudo, a D. Ignatio Martyre in meliorem præcise formam fuerit commutata, ac sæculo III. per constitutiones, ut vocant, Apostolicas episcopis ac presbyteris ejusdem legis a fidelibus observandæ cura specialis fuerit demandata (l. 8., Cap. 14.). Putidissimum proinde mendacium est, psalmodiam sacram seu officium canonicum monachismo antiquiorem haud esse, cum ex adductis documentis potius inferendum sit, legem quæ Ecclesiæ exordio erat universalis, defervescente paulla-

tim fidelium pietate, factam fuisse particularem solisque clericis ac monachis impositam, utpote hominibus ad cultum Dei specialiter destinatis et in hunc finem fidelium oblationes ac eleëmosynas percipientibus; sic nempe per impudentissimam cavillationem in odium monastici nominis convertit ævi nostri irreligiosa crisis, quod veluti præcipuam status monastici prærogativam germana prædecessorum nostrorum suspexit pietas.

§ 3. De Dignitate et Excellentia Officii canonici seu Psalmodiæ sacræ.

Omissis iis, quæ supra art. I. § 2. hujus capitis de dignitate orationis in genere dicta sunt, nos ex innumeris propemodum encomiis quibus tum sancti Patres, tum ascetæ psalmodiam prædicant, paucas tantum easque veluti nativas ac soli psalmodiæ proprias prærogativas hic adducimus.

Prima est, quod psalmodia propriissime sit laus divina, utpote constans ex psalmis, canticis, ab ipsomet Spiritu Sancto dictatis in hunc præcise finem, ut deserviant ad laudandum et glorificandum Deum. Quodsi itaque amica et familiaris oratio est, ut ait D. Cyprianus, Deum de suo rogare, nonne amica et familiaris ac vel ideo gratissima laus erit, Deum de suo laudare? Vel quis cogitare poterit vel encomium præstantius illo, quod Deus ipse dictavit, vel obsequium gratius illo, quod Deus ipse imperavit dum repudiatis quasi sacrificiis (Ps. 49, 14. 23.) præcepit: **Immola Deo sacrificium laudis. — Sacrificium laudis honorificabit me?**

Secunda prærogativa in eo est sita, quod officium psallendi sit munus et officium angelicum, quia angelorum, prout describit Isaias (6, 3.) et D. Joannes (Apoc. 4, 8.), unicum exercitium est, Deum orare, laudare, glorificare et sic colendo amare. Et hinc D. Bonaventura (l. de sex alis Seraph.) psalmodiam appellat imitationem cœlestis concentus; et jam dudum Tertullianus (l. 1. ad uxorem) asseruit *psallentes de familia angelorum esse.* Immo D. Ber-

nardus (serm. 7. in Cantica) non dubitat asserere, angelos in choro psallentibus admisceri, probans hoc ex illo psalmistæ: Prævenerunt principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum (Ps. 67, 26.).

Tertia: Psalmodia est oratio devotissima et affectuosissima, quia psalmi, imo non raro plures unius ejusdemque psalmi versus, pleni sunt affectibus sive diversissimis non minus quam præstantissimis virtutum actibus pro triplici via vitæ spiritualis, imo prope pro quibusvis vitæ mortalis circumstantiis animum afficientibus, prout jam dudum ostendit D. Athanasius in sua ad Marcellinum epistola, et nuper collegit Em. Thomasius in suo psalterio in prolegom. post præfationem.

Quarta: Psalmodia est oratio efficacissima, quia est oratio publica, facta nomine Ecclesiæ, quæ cum sit a Christo tenerrime instar sponsæ (prout ait D. Paulus Ephes. 5., 25) amata et ob innumera omnium justorum, qui fuerunt, sunt et erunt, merita Deo summe amabilis, nihil non impetrabit a Sponso suo.

Fide itaque, quin et ratione carent, seque tum violatæ religionis tum læsæ justitiæ reos constituunt clerici illi ac monachi, qui psalmodiæ sacræ sese aut nonnisi inviti et sine ulla devotione tum interna tum externa impendunt, aut omnino ex levissimis causis se subtrahunt, vel omnino contemnunt et veluti occupationem distractionum refertissimam, tædii plenam, humanæ infirmitati minime commensuratam, temporisque in bonas litteras, animorumque lucra sanctius impendendi male prodigam traducunt. Certe tales suo ex ore convincuntur, quod tanti quanti animales, plene ad exteriora effusi, corruptique omnino gustus sunt, dum ibi tædium, nauseam ac fastidium sentiunt, ubi ad nostra usque tempora viri quique piissimi æque ac doctissimi favum mellis gustarunt.

Quodsi studiis quandoque sat noxiis, quodsi lectionibus ac rumoribus plerumque vanis per plures horas intense stu-

dere possunt, cur non pari mentis attentione orare possint tempore longe breviori ac impendio conaminis longe minori, dum ad psalmodiam sufficiat attentio virtualis, ad studia vero requiratur actualis?

Præjudicium autem illud, quod inde sive scientiis sive animabus pascendis timent, tantum abest, ut potius ex psalmodia sacra utrique ingens accedat commodum, dum mediante hac oratione efficacissima laboribus tum apostolicis tum litterariis amplior obtinetur cœli benedictio, ne vel in istis ultra sobrietatem sapere volentes desipiamus vel in illis casso verborum tinnitu frustra defatigemur. Quid amplius dicam quam quod per tot jam sæcula illi, qui choro ac officio canonico addicti fuerant, nunquam destiterunt, seu editis doctissimis lucubrationibus eruditionem seu indefessis in vinea Domini laboribus animarum promovere salutem, et hoc ipso facto comprobaverunt, hoc præjudicium nullibi nisi in cerebro hominum pietatis ac religionis expertium existere ac putidum irreligiosæ acediæ aut impiæ malevolentiæ figmentum esse.

§ 4. De Utilitate Psalmodiæ sive Officii canonici.

Gemina est sacræ psalmodiæ utilitas, privata una, publica altera, utraque in iis, quæ parag. præced. attulimus, prærogativis fundata; etenim, si psalmodia sit actus religionis Deo gratissimus et oratio præstantissimis virtutum actibus referta, plane nunquam sine ingenti ac multiplici merito exerceri potest. Quodsi insuper, ut ait Ven. Blosius (in medulla psalmodiæ) et uti sua tum experientia tum exemplo comprobavit rex David, psalmodia inexhaustus quidam thesaurus est, nihil non continens eorum, quæ ad purgationem, sanitatem, eruditionem, ornatum, vel ad consolationem animæ spectant; et si anima, quæ palatum internum infectum non habet, delicias inennarabiles in psalmodia degustat, plane consequens est, quod sit psalmodia quoddam quasi alexipharmacum cuivis hominum conditioni, omnibus

vitæ circumstantiis ac animæ morbis quam utilissimum, ut adeo certissime vitium orantis sit et non orationis, si quis in psallendo tædio laboret et fastidio.

Utilitas psalmodiæ publica h. e. tum in Ecclesiam tum in rempublicam redundans politicam, nec minus magna nec minus certa est; etenim si juxta Tertullianum publica fidelium in unum cœtum coëuntium oratio, vis Deo grata est, nonne vis erit Deo longe magis grata oratio a clericis et religiosis facta publica auctoritate et nomine totius Ecclesiæ, cujus proinde coadunata non vota tantum sed et merita non poterunt non maximum addere pondus? Et hinc est, quod Ecclesia hæresibus, schismatibus, persecutionibus aliisque quibuscunque periculis religioni ac fidei minitantibus nonnisi preces publicas ac communes fidelium opponere consueverit. Ad has ipsas preces publicas pariter confugere consueverunt principes, easdem suis subditis imperando, quoties impendentes calamitates regnis suis vastitatem minitabantur. Imo, ut regnis suis ac provinciis jugem Dei favorem ac per hunc omnimodo prosperitatem procurarent, tot olim ecclesias et monasteria fundaverunt, prout e chartis fundationum ac dotationum patet. Quodsi modo alia sint sensa de oratione ac hominibus orationi addictis, id quidem emortuæ fidei indicium, nullatenus vero assertæ utilitatis præjudicium est, et si modo viluit prisca pietas, certe etiam evanuit antiqua regnorum prosperitas.

§ 5. De necessaria Intentione, Devotione et Attentione ad Psalmodiam sacram.

Quæ hucusque dicta sunt efficere possunt, ut absque tædio psallamus, modo videndum quid requiratur, ut cum fructu et gustu psallamus. In hunc finem tria requiruntur: *Intentio*, *devotio*, *attentio*.

Intentio ad psalmodiam requisita est volitio seu voluntas orandi et Deum laudandi, eaque vel implicita in voluntate satisfaciendi suæ obligationi et Ecclesiæ præcepto, vel ex-

plicita, expresse cogitando et statuendo, quod quis velit orare et laudare Deum. Utraque sufficit et alterutra necessaria est, ut psalmodia de se ad quamplurimos et diversissimos fines indifferens per intentionem determinetur et elevetur ad rationem orationis et laudis divinæ.

Devotio, de qua art. I. § 6. hujus capitis plura dicta, et hic denuo recolligenda sunt, quantum ad psalmodiam spectat, eam imprimis excludere: Omnem acediam, pigritiam ac teporem.

Secundo importare piam voluntatis motionem sive affectum; nam ut ait Conc. Trev. a. 1549 can. 1: *Deus audit vocem cordis, sine qua sonum oris contemnit, quare videndum est, ut, qui spiritu psallunt i. e. attente, et mente psallant i. e. devote ac affectuose.* Quem in finem D. Augustinus (in Ps. 30) auream suppeditat regulam, ut scilicet quasi induti personam Davidis, psalmos veluti ex proprio cerebro ac corde proferamus et translatis in nos regii psaltis sensibus; si orat psalmus, oremus; si gemit, gemamus; si gratulatur, gaudeamus; si sperat, speremus; si timet, timeamus. Quæ quidem industria plurimum confert, ut minori cum difficultate mentis attentionem conservemus, dum variando identidem affectus innatæ instabilitati nostræ innocue condescendimus, et quod de se devotionis solet esse impedimentum, pia industria in ejusdem convertimus subsidium.

Attentio duplex est, *interna* scilicet et *externa.* Prior consistit in interiori mentis advertentia ad id, quod agitur; posterior vero est, quæ excludit omnem externam actionem physice cum recitatione incompossibilem, ut fabulari, scribere etc. Rursus attentio interna triplex est: scilicet

1. *Spiritualis*, quæ est ad Deum ipsum, ut orationis terminum;
2. *literalis*, seu ad sensum verborum, et rerum significationem;

3. *materialis*, quæ fit ad verba tantum, ad ea nempe rite proferenda.

Ex his tribus attentionis speciebus quælibet sufficit ex omnium sententia ad bene orandum, et tantum de earum necessitate disputatur inter theologos, quam litem, quantum ad nos Benedictinos attinet, jam dudum diremisse videtur s. Regula cap. 19., quæ nos sic stare ad psallendum præcipit, ut mens nostra concordet voci nostræ, id quod sine omni attentione interna non solum fieri sed vel concipi nequit.

Auctoritati s. Regulæ accedit auctoritas Ecclesiæ, quæ dum clericis ac monachis obligationem officii canonici imponit, certe ceremoniam religiosam adeoque veram orationem Deo gratam ac fidelibus utilem requirit; jam vero sine omni attentione interna non potest dari vera oratio, cum ad eam essentialiter requiratur elevatio mentis ad Deum; nec datur sine illa oratio Deo grata, utpote quæ testante id ipsum Christo Domino (Joan. 4, 23.) debet fieri in spiritu et veritate, ad quod requiritur, ut anima, prout est spiritualis et rationalis, concurrat ad orationem, videlicet per memoriam, intellectum ac voluntatem, et ut cor concordet cum motu ac sono labiorum, sine qua concordia non datur nisi mera orationis simulatio et judaica hypocrisis, jam olim a Christo Domino reprobata (Matth. 15, 8.). Talis autem oratio teste D. Augustino (in Ps. 118) *inaniter fit*, et dicente D. Chrys. *sic oranti nulla est utilitas, fortasse autem et major condemnatio* (hom. 30 in Genes.). Atque hanc suam esse mentem Ecclesia indubie manifestasse videtur in gemino Concilio œcumenico Lat. IV. et Trid., in quorum priori (cap. dolentes etc. de celebr. Miss.) officium divinum *studiose pariter et devote* in posteriori vero *reverenter, distincte et devote* (sess. 24, c. 12.) in virtute obedientiæ præcipit; dum enim utrobique devotio requiritur, plane attentio mere externa

reprobatur, utpote quæ potius devotionis ac orationis simulatio est, ipsis etiam hypocritis familiaris.

Itaque ut satisfiat intentioni ac voluntati Ecclesiæ, oportet, ut sub psalmodia sacra observetur exacte devotio tum externa tum interna. Attamen ad evitandos scrupulos et erroneam conscientiam bene notandum est, quod attentio hæc interna non debet esse actualis et formalis, quam sub oratione saltem prolixa continuare, plus quam moraliter impossibile est, sed virtualis tantum, quæ est ipsissima attentio actualis ab initio orationis formaliter et explicite habita et exercita et aliquo sui effectu per decursum perseverans. Censetur autem tam diu perseverare, quam diu non revocatur vel expresse, nempe ipso facto, libere et deliberate deponendo attentionem, vel implicite et interpretative, nempe distractionibus negligenter resistendo aut earundem causas non removendo. Proinde, qui se debite præparat, qui oculis etc. invigilat, reverentem corporis compositionem observat, adminicula infra designanda præcipue art. III. pro modulo suo applicat ac mentem avolantem studiose revocat, is virtualem attentionem habet, nec orationem utut distractionibus plenam, utpote mere involuntariis, iterare tenetur.

§ 6. De Attentione interna.

Præcedenti paragrapho triplicem speciem attentionis internæ, quæ ad officium canonicum rite persolvendum requiritur, adduximus. Illarum equidem quælibet sufficit, ut quis suæ obligationi satisfaciat, una tamen altera melior et tum ad conservandam attentionem, tum ad excitandam devotionem aptior est. Talis est attentio ad sensum verborum, tam *literalem*, eumque vel *grammaticalem* vel *historicum*, quam vel maxime *mysticum*, qui vel est *allegoricus* et fidem respicit ac Ecclesiam militantem, vel *anagogicus*, et spem concernit et Ecclesiam triumphantem, vel *tropologicus*, et mores ac caritatem ordinat, prout notis hisce versiculis continetur;

Litera gesta docet: quid credas allegoria;
Moralis quid agas: quo tendas anagogia.

Uterque hic sensus, literalis scilicet et mysticus, ab ipsomet Spiritu Sancto immediate est intentus et quandoque in uno eodemque versu, imo verbo continetur. Sic vox *Jerusalem* in sensu literali historico est urbs Palestinæ metropolis, in sensu allegorico Ecclesia militans, in sensu anagogico Ecclesia triumphans, in sensu denique tropologico, anima justa aut etiam pecatrix. Datur adhuc et alius S. Scripturæ sensus, accommodatitius vel accommodatus, qui scilicet S. Scripturæ tribuitur, quoties verba sacra ad rem quam divinitus non exprimunt, transferuntur. Sic quod de Noë dicitur in Ecclesiastico 44, 17: **Inventus est justus, et in tempore iracundiæ factus est reconciliatio,** Ecclesia omnibus, Confessoribus Pontificibus accommodat.

Patet ex his, quod ad evitandam distractionem excitandamque devotionem quam maxime deserviat attentio ad sensum mysticum, quæ tamen psalmorum intelligentiam minime superficialem præsupponit. Unde quivis attentæ ac devotæ et vel ideo sapidæ psalmodiæ percupidus subsicivas temporis particulas libenter diligenterque impendet volvendis commentariis in psalmos, v. g. Cartierii, Calmeti, Thomasii etc., ac quam sæpissime compendiosam psalmorum synopsin attento oculo percurret, ut bonarum cogitationum ac devotorum affectuum pabulum sibi comparet. Laboris ac industriæ hujus præmium erit, quod tunc psalmi nobis videbuntur suavissimi, ut ait D. Augustinus, et divinissima luce perfusi, quia in iis, mediante notitia sensus mystici, caput et membra, Christum et Ecclesiam sive aperte propalatos sive latenter designatos intelligemus. *Sic*, ut idem Aug. ait in Ps. 18, *humana ratione*, *non quasi avium garritu*, *cantabimus;* et verificabitur de nobis, quod scriptum est Ps. 88. **Beatus populus, qui scit jubilationem,** et sequemur illud Apostoli I. Cor. 14: **Orabo spiritu,** per intentionem et devotionem, **orabo mente,** per intelligentiam; **psallam spiritu, psallam**

et mente. Interim, usquedum ad pleniorem psalmorum intelligentiam pertingamus, si quid obscuritatis occurit, cogitemus et faciamus, quod monet D. Augustinus (tract. 22. in Joan.): *Si parum intelligit populus Christianus psalmos, quos cantat, credit bonum esse quod cantat; gradus intellectus fides, fidei fructus intellectus.* Sic per fidem paremus viam intelligentiæ et locis psalmorum apertis pascamur, obscuris et fastidiis occurramus.

§ 7. De Adminiculis conservandæ attentionis tempore divini officii.

Huc revocari possunt ac debent ea omnia, quæ art. I. § 7. de oratione in genere dicta sunt. Hic tamen pauca superaddimus stabiliendæ attentionis media, psalmodiæ magis accommodata.

Primum suppeditat Cassianus in eo consistens, ut psalmos velut a nobis editos, et quasi orationem propriam decantemus, eorum sententias quotidie in nobis ipsis geri implerique cognoscentes;

alterum adminiculum virtualiter multiplex et piorum affectuum sat ferax indigitat Em. Card. Bona (Horolog. ascet.) suntque ipsissimi Psalmi, qui utpote affectibus referti, nobis inexhauribilem venam præstantissimorum actuum aperiunt, quos velut ex propria persona et corde elicientes non poterimus non succendi, præcipue si verbis psalmorum addimus quædam adjectiva vel adverbia energiam ut plurimum augentia; si affectus pro diversitate vocabulorum occurrentium variantur; si circumstantiis ipsis orationis juxta tritum illum versiculum: Quis, quid etc. ac præcipue si festo aut mysterio, quod celebratur, accommodantur;

tertium adminiculum, idque teste libello *de Imitatione Christi* (I, 25.) religioso omnia utilia et necessaria abunde subministrans, est devota contemplatio mysteriorum vitæ et passionis Christi, quorum pleraque in psalmis prædicta et in persona Davidis fuerunt præfigurata; qua in re, ne sine ordine et vel ideo sine utilitate nos occupemus, bene notanda

sunt hi versiculi, qui singulis horis canonicis singula accommodant mysteria:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina solvit.
Prima replet sputis: causam dat Tertia mortis:
Sexta cruci nectit: latus ejus Nona bipertit:
Vespera deponit: tumulo Completa reponit;

Quartum adminiculum pro evitanda quavis irreverentia, tum interna tum externa, tam sub oratione quam, sub aliis quibuscunque pietatis et religionis exercitiis, longe efficacissimum nobis subministrat s. Regula (cap. 19.) *de disciplina psallendi*, fidem videlicet vivam ac practicam memoriam præsentis Dei, in cujus et Angelorum conspectu stamus ad psallendum.

Atque ne hæc practica Dei præsentis recordatio sub repentibus identidem distractionibus cxtinguatur, juvabit in qualibet hora canonica determinatis intervallis, v. g. ad doxologiam, orationem dominicam, collectam, Deus in adjutorium etc., explicito fidei actu Dei præsentis recordari, intentionem Deum laudandi renovare et sic intepescentem devotionem adhibitis piarum aspirationum flabellis resuscitare. Quæ praxis si fideliter continuatur, auctis successive pro qualibet hora canonica ejusmodi intervallis, non solum de habita attentione virtuali nos securos reddit, sed et ad continuandam diutius attentionem actualem nos disponit.

§ 8. De exteriori Gravitate, Modestia, ac Reverentia tempore psalmodiæ sacræ vel maxime necessaria.

Tam ex iis, quæ art. I. hujus capitis §§ 6. et 7. dicta sunt, quam ex illa arctissima unione corpus inter et animam, vi cujus dispositio vel indispositio alterutrius in alterutrum plurimum influit, patet, quod inter adminicula attentæ et devotæ orationis minime ultimo loco reponi debeat exterior gravitas, modestia ac reverentia; quæ, sicuti a nulla oratione ob supremam, quæ adoratur, Numinis majestatem abesse debet, sic vel maxime ad psalmodiam requiritur, quia

hæc est publicum nomine totius Ecclesiæ Deo exhibitum cultus latreutrici obsequium, ac proinde, uti in politicis quoque observari videmus, majori solemnitate omnique possibili decentia Deo persolvendum.

Devotio hæc externa quatuor involvit conditiones:

1. Decens totius corporis compositio, quæ exclusa omni inurbanitatis ac rusticitatis umbra, interni fervoris, profundæ humilitatis ac submissæ reverentiæ indicium possit esse minime dubium, quæque ritus ac ceremonias omnes seu lege præscriptas seu laudabili consuetudine introductas ad amussim observat;
2. arcta sensuum, oculorum præcipue orisque custodia, quæ sic orationis adminiculum est, ut ejusdem neglectus ipsius orationis sit destructio, utpote proxima distractionum causa existens.
3. virilis gravitas in psallendo, quæ memor illius Davidici: **Psallite sapienter,** (Ps. 46, 8.) **In populo gravi laudabo te;** (Ps. 34, 18.) divinæ laudis pensum sine præcipitatione, syncopatione ac vocum dissonantia ita persolvit, ut simul sancta sollicitudine ad opus Dei, cui nihil præponit, id omne studiose præcaveat, quidquid vel publicam causare confusionem, vel justam aliorum posset provocare indignationem;
4. oris vocisque hilaritas, quæ serenata fronte ac debita vocis intensione distincte, emphatice ac energice psallit, canit ac modulatur non fractis et remissis vocibus, muliebre quoddam balbe de naribus sonando, sed virili, ut dignum est, et sonitu et affectu voces S. Spiritus depromendo. Atque hæc quidem de oratione vocali publica dicta sufficiant, simul tamen etiam de oratione quacumque privata intelligantur et observentur ob paritatem rationis adæquatam. Id quod sat clare innuit s. Regula c. 50. præcipiens, ut, qui ab oratorio absunt, agant opus Dei cum tremore divino, h. e. devotione

interna, flectentes genua, h. e. observando etiam devotionem seu reverentiam externam; atque hoc regulare præceptum, olim scrupulose admodum a nostris Ss. prædecessoribus observatum, sic saltem observemus, ut in recitatione Breviarii extra casum legitimi et minime prævisi impedimenti, ordinem temporis nunquam notabiliter invertamus, et saltem intentionis formulam i. e. *Aperi* etc. ac pro commissis sub oratione defectibus clausulam i. e. *Sacrosanctæ* etc. flexibus genibus recitemus; totumque servitutis nostræ obsequium iterato sanctissimæ Triadi per manus B. Virginis omniumque Sanctorum in unione meritorum, et orationum Christi Domini offeramus.

ARTICULUS TERTIUS.

De Oratione mentali.

Quidquid supra art. I. de excellentia orationis in genere dictum est, illud omne et quidem per eminentiam de oratione mentali utpote longe meliori et ad obtinendam solidam sanctitatem ac perfectionem longe efficaciori medio intelligi debet. Certe hoc exercitium veluti efficacissimum servandæ legis divinæ, implendæ justitiæ ac proinde obtinendæ perfectionis medium passim inculcatur tam S. Scripturæ testimoniis quam Sanctorum exemplis. Meditationem D. Paulus discipulo suo Timotheo præscripsit, ut in melius proficeret: **Hæc meditare, in his esto, ut profectus tuus manifestus sit omnibus** (Tim. 4, 15.). De hac asserit D. August.: *Non potest fieri, ut habeat mala facta, qui habet bonas cogitationes* (in Ps. 148.). *Meditetur ergo quæ Dei sunt*, infert D. Prosper, *fidelis, cum vacat, et bene operandi substantiam quærat, ne in actione deficiat* (Serm. 218 de Medit.). In hac se jugiter exercuit David, prout testatur

Ps. 118. Apostoli expectantes adventum Spiritus Sancti solitudini vacabant et orationi, et ipsa B. Virgo illa, quæ ex ore Simeonis audierat verba, conservabat conferens h. e. ruminans ac meditans in corde suo (Luc. 2, 19. 51.).

Horum exemplis instructi Sancti quilibet orationis mentalis exercitium sibi fecerunt familiarissimum, præcipue monachi, utpote persuasi cum D. Thoma Aqu.: *Neminem sine meditatione in monasteriis vivere aut proficere posse;* et quia teste S. Theresia: *Meditatio est initium acquirendi omnem virtutem* (in via perf., cap. 16.). Quin imo, sicut ait Hugo Victorinus: *Orationi vocali sancta meditatio sic necessaria est, ut omnino perfecta oratio esse nequeat, si eam meditatio non comitetur aut præcedat* (de modo orandi); plane consequens est, eandem esse orationis mentalis necessitatem, quam supra art. I. § 4. de oratione vocali adstruximus.

Enimvero nonnisi frequenti meditatione, prout tristis docet experientia non inter laicos solum, sed etiam inter religiosos, acquiritur habitus fidei, spei et caritatis, practicus horror peccati, fuga vitiorum, amor virtutis, perseverantia in bene cœptis, aliaque id generis salutis ac solidæ virtutis adminicula; hinc proinde mirum esse non debet, Christum Dominum totum apparatum acquirendæ salutis necessarium intra unius meditationis exercitium inclusisse, dum de S. Magdalena ad pedes suos sedente et doctrinam auscultante dixit: Porro unum est necessarium; Maria optimam partem elegit (Luc. 10, 42.).

§ 1. De Notione Meditationis.

In sensu latiore ac communi loquendi modo quidem considerationis ac meditationis quin et contemplationis vocabula promiscue usurpantur; a parte rei tamen et in sensu strictiori inter se omnino differunt. Conveniunt quidem in eo, quod singula hæc denotent profundiorem quandam alicujus veritatis perpensionem, differunt vero modo, quo hæc perpensio fit; si enim fit per simplicem veritatis intuitum

ardentissime affectuosum, exclusa quavis tum enucleatione tum ratiocinatione, vocatur et est *contemplatio.*

Si occupatur non tam circa probandam, quam circa clare, distincte et adæquate cognoscendam veritatem et deducendas ex inde affectuose practicas sequelas, erit *consideratio.*

Quodsi denique tam propositæ veritatis argumenta ponderat, quam ea practice et affectuose sibi ipsi applicat, tunc *proprie meditatio est*, quæ describitur: *Determinatæ alicujus materiæ pridie ante cubitum præparatæ affectuosa et practica expensio mediantibus tribus animæ potentiis, memoria, intellectu ac voluntate in ordine ad extirpationem vitiorum, virtutum acquisitionem ac infundendum Dei amorem.*

Ad meditationem itaque concurrunt omnes tres potentiæ animæ, quam ob causam vocatur oratio mentalis, et differt ab oratione vocali, cum nec linguæ nec labiorum nec alterius sive membri sive sensus obsequium requirat.

Unde, qui in sola veritatis seu enucleatione seu demonstratione subsisteret, quin eam congruis affectibus prosequeretur, is proprie non meditaretur, sicuti nec ille, qui contentus sterili voluntatis notione, quid practice et in individuo sibi agendum fugiendumve sit nec inquireret nec decerneret, quum sine hac industria nec solida morum conversio, nec solida, stabilis, firma ac radicata Dei caritas obtineri queat, quorum tamen prior meditationis finis proximus, posterior finis ultimus est.

Utut vero ex qualibet veritate practica fructus hauriri possit, quia tamen pluribus simul propositis veritatibus intellectus obruitur potius quam convincitur, dissipatur magis quam ædificatur, hinc veritas determinata assumi debet, eaque jam pridie ante cubitum disponi, ne illius determinatio altero die plus justo temporis sufferetur exercitio intellectus ac voluntatis, ex quo veluti parte præcipua, quin et substantiali meditationis fructus ut plurimum dependet. In hac tamen determinatione nullatenus curiositatis pruritum

sed vel s. obedientiæ nutum vel propriæ indigentiæ, ac spiritualis necessitatis experimentum consulamus oportet.

§ 2. De Præparatione ad Meditationem.

Qualem, inquit D. Bernardus, *te paraveris Deo*, *talis tibi apparebit Deus* (serm. 69 in Cant.); necessaria itaque est ad quamvis orationem maxime tamen ad orationem mentalem, præparatio, eaque tam remota, quam proxima. Remota tria involvit:

1. Materiæ præelectionem;
2. ejusdem ante somnum brevem ruminationem;
3. ejusdem primo mane recordationem.

Præelectio in eo consistit, ut quis pridie materiam, argumenta, affectuum fontes ipsosque adeo affectus determinet, vel si hæc omnia uti plerumque et ordinarie fit, jam aut impressa in aliquo libro aut conscripta habentur, sufficiet conari, ut quis materiæ argumentorumque sensum clare intelligat, ex argumentis forte justo pluribus aptiora seligat, affectus, affectuum fontes determinet una cum fructu seu proposito particulari ac tessera, quam tum ante somnum ruminando, tum primo mane in memoriam revocando, facile ipsam meditationis materiam simul et finem sive fructum in memoriam revocare possit.

Ex quo sua sponte fluit, tesseram esse brevem aliquam sententiam, quæ meditationis materiam ac particulare propositum in se complectitur. Quodsi, ut plerumque fit, ex pio aliquo libello, v. g. ex *Imitatione Christi*, etc. lectio aliqua præscribitur, hæc ipsa ad præparationem remotam spectat, et immediate ante statutam meditationis horam peragi debet, ut per eam mens a vanis et otiosis ad serias sanctasque cogitationes revocetur ac ipsum meditationis, exercitium facilitetur.

Præparatio proxima, quæ in ipso loco ac tempore meditationis exercitio memoriæ immediate præmittenda est,

sequentes complectitur actus brevissime simul tamen ferventissime eliciendos:

1. Actum fidei de præsentia Dei ac dignitate negotii nunc peragendi; atque hic actus solertissime est eliciendus, utpote omnis attentionis ac fervoris in quavis oratione princeps incitamentum, mater et anima;
2. doloris de commissis in oratione defectibus et impedito ejusdem fructu;
3. fiduciæ in divinum auxilium et diffidentiæ in propriis viribus;
4. propositi præsentem meditationem sine defectibus peragendi;
5. indifferentiæ sive resignationis in divinam voluntatem tam pro statu consolationis quam desolationis.

§ 3. De Exercitio Memoriæ.

Quod in concione propositio, hoc in meditatione est exercitium memoriæ, cujus est, materiam meditationis, quantum fieri potest, brevissime, intellectui considerandam proponere, vel simpliciter scilicet veritatem brevi aliqua propositione aut sententia complectendo, vel adhibita etiam phantasia et imaginatione, singula puncta scilicet rei considerandæ adjuncta vivis veluti coloribus in cerebro depingendo, nosque eidem rei, quasi nunc primum sub oculis nostris contingenti præsentes sistendo. Priori modo procedendum est, quando vel materia meditationis est quid mere spirituale et a sensibus prorsus independens, vel quando quis tenuiori imaginandi vi est instructus. Posterior modus habet locum in rebus sensibilibus, v. g. parabolis, factis historicis etc., vel in casu instabilioris phantasiæ.

Quodsi contingat, ut ipsa mysterii imaginatio vel sola veritatis recordatio in voluntate pios excitet affectus, tunc eidem inter pios affectus ac congrua proposita tam diu inhærendum est, quamdiu hæc voluntatis motio perdurat, nec prius ad exercitium intellectus est transeundum, quam

affectus in sicco hæreat. Atque hoc regulæ generalis loco tenendum est, ut quotiescunque et in quacunque meditationis parte sese aliquis pius affectus vel voluntatis motio cum materia et scopo concordans insinuaverit, mox in eo sistendum sit et, omissis aliis omnibus, eidem tamdiu inhærendum, quamdiu in voluntate perdurat; quum enim omnes et singulæ meditationis partes nonnisi propter eliciendos affectus sive movendum voluntatem adhibeantur, his obtentis sive sua sponte oblatis, reliqua omnia superflua sunt et plane otiosa.

§ 4. De Exercitio Intellectus.

Ut voluntas aliquid seu prosequatur, seu aversetur, h. e. ut moveatur, indiget ductu intellectus, adeo ut sine præambulo hoc lumine indifferens, segnis et immota hæreat. Hanc ipsam tamen voluntatis motionem intellectus nunquam aut certe nonnisi difficillime et languide extorquebit, nisi prius fuerit aptis convictus argumentis. Hocque exercitium intellectus in eo consistit, ut materiam meditationis exacte enucleando perpendat ac congruis argumentis comprobet per ratiocinationem, eandem præsenti animæ suæ statui applicet per reflexionem, ac denique practicas deducat inde conclusiones per resolutionem, hæcque omnia veluti orator e suggestu conscientiæ ad suam perorans animam clare, solide et delectabiliter exsequatur.

Ne hoc intellectus exercitium incipientibus, ut passim conqueruntur, plus justo negotii facessat, illud pro diversitate materiæ considerandæ variandum est.

Si materia meditationis est factum aliquod historicum, v. g. mysterium passionis Christi etc., simpliciter expendi debet secundum omnes vel aliquas circumstantias noto illo versiculo: *Quis*, *quid*, *ubi* etc., in singulis illis ad fructum, pridie in præparatione præfixum collineando.

Si in meditatione agitur de virtute implantanda, expendenda erit ejusdem excellentia, dignitas, utilitas, necesitas, adhibitis hunc in finem argumentis ex verbo Dei, Ss. Patri-

bus, Ecclesiæ canonibus aut ascetarum libris, urgendo simul assensum per exemplum Christi et Sanctorum, meriti augmentum, proximi ædificationem, divinæ gloriæ dilatationem, Ecclesiæ, ordinis et regularis disciplinæ conservationem, aliaque commoda et emolumenta spiritualia seu privata seu publica ex hujuscemodi virtutis exercitio pullulantia.

Si vero de vitio extirpando tractatur, ex eisdem prorsus fontibus vitii natura, partes, gradus, malitia, turpitudo, stultitia et perniciositas erit expendenda, hæsitantem intellectum identidem urgendo per exempla biblica, per recordationem quatuor novissimorum, ut in bonum propriæ animæ idem statuat, quod in bonum corporis alteri consuleret.

Si denique materia meditationis est aliquis scripturæ textus vel aliqua sententia sive dogmatica sive moralis, expendenda erit dicentis auctoritas, doctrinæ sensus, veritas, æquitas, utilitas ac necessitas, hæc omnia evincendo ex principiis per se claris sive fidei sive ethices, sive sanæ rationis ac prudentiæ, ex sensu hominum proborum ac doctorum ab experientia vel propria vel aliena etc. Interim intellectus in ponderandis hisce motivis, ne in vanum laboret, sollicite attendere debet, ut in hoc suo conamine procedat:

1. Moderate, sine nimia cerebri intensione, quæ veritates quasi in pleno lumine conspicere et assensum intellectus quasi persentiscere vult, non alio commodo, quam quod caput lædatur, vires exhauriantur et nos vel ad meditandum inepti vel certe pertæsi efficiamur; quantam itaque industriam ad studia et negotia seria adhibere solet vir diligens, tantam ad meditandum adhibuisse sufficit;
2. sedate et tranquille, sine inordinata cupiditate omnia argumenta ruminandi, et sine inutili timore, ne forsitan citius ab uno puncto vel exercitio ad aliud transeamus. Finis meditationis est motio voluntatis, quæ si mox primo puncto aut argumento aut etiam sine omni discursu sola lectione obtinetur, eidem insistendum est et

reliqua vel alio tempore legenda vel cessante voluntatis motione perpendenda erunt;

3. simpliciter, solam veritatis demonstrationem ac motionem voluntatis intendendo ac nullatenus sublimes conceptus aut subtiles discursus captando vel ornatæ dictioni et artificiosæ argumentorum connexioni studendo;
4. non nimis præcipitanter, argumenta extremis tantum labiis delibando et ab uno ad aliud transiliendo, sed iis tamdiu insistendo usque dum convincatur intellectus;
5. non nimis prolixe, ne minutissima quævis adjuncta et argumentorum recessus exenterando amplius tempus detur conceptibus, quam affectibus, et meditatio in studium transeat, cum dispendio plurium graduum gratiæ et gloriæ nullo alio consequente fructu, quam quod curiositati aut vanitati litaverimus.

Si quis seu ob materiæ sterilitatem, seu ob propriam indispositionem ad quemvis discursum et profundiorem veritatis indagationem se ineptum deprehendit, et quasi stupidum, is adhibito moderato conamine ac seria intellectus applicatione se dispositum reddere studeat; sæpe enim ejuscemodi indispositio brevi ac levi conatu dissipatur. Quodsi nihil proficit, tunc materiam attente legat tantum, relegatque immixtis affectibus ac congruis suspiriis et proposito identidem repetito; sicque totum tempus ab obedientia præscriptum impendat, hanc suam indispositionem humiliter et resignanter ferendo, ac inter actus amoris benevoli cum præparatione animi ad diuturniorem adhuc spiritus afflictionem Deo offerendo.

Atque hac ratione nemo meritum fructumque meditationis amittet, sed potius augebit ob maximam voluntatis et amoris proprii abnegationem, quæ in his circumstantiis exercetur, et quam Deus remunerabitur suo tempore in memoriam revocando ejusmodi meditationis materiam ac copiosam subministrando gratiam, conceptum in ea propositum exsequendi.

Utut vero ejusmodi actus plene exsucci e cerebro potius extorti, quam ex corde eliciti videantur, omittendi tamen non sunt; ipsa enim meditationis continuatio in his circumstantiis haud parum ardua ipso facto comprobat affectus hujuscemodi sinceros esse ac genuinos.

Quodsi quis propria sua culpa se fecerit indispositum, is, elicito actu doloris causam culpabiliter positam, quantum in se est revocet ac spiritus ariditatem mentisque desolatæ sterilitatem veluti justissimam suæ negligentiæ pœnam patienter, fortiter ac longanimiter perferendo, sub vindici manu Dei se humiliet.

§ 5. De Exercitio Voluntatis.

Exercitium voluntatis duo involvit, nempe *affectus* et *propositum*. Affectus nomine intelligitur motio voluntatis. Dicitur autem voluntas moveri, quando incipit se aliter habere circa aliquam rem vel veritatem ac prius se habuit, nempe vel aversando vel prosequendo eam; unde affectus omnes adæquate in prosecutivos boni atque aversativos mali dividuntur.

Ne in hoc exercitio, unde omnis fructus meditationis dependet, affectuum vena, ut plerumque Fratribus Tyronibus contingere solet, dicto citius exarescat, imprimis exercitio intellectus statim subjungatur reflexio sive practica applicatio consideratæ veritatis ad proprium animæ suæ statum per notas illas quæstiones: *Qualiter hucusque me gessi circa hanc doctrinam? qualiter modo me habeo? quantum mihi profuisset sic vixisse? quantum obfuit aliter egisse? quantum proderit oberitve etiam imposterum, veritati cognitae conformiter aut difformiter agere?* Sic enim argumentis ab utilitate ac necessitate propria ductis voluntas ad humilitatem, erubescentiam, dolorem, veniæ petitionem etc. disponetur, qui affectus quasi naturaliter in exercitio voluntatis primi omnium occurunt.

Præter hanc reflexionem ad facilitandum exercitium voluntas haud parum confert sæpius relegere ordinem analyticum affectuum prope in qualibet meditatione sese invicem et consequentium et producentium. Sunt autem isti affectus elciendi:

1. Animi demissio, erubescentia, dolor ac veniæ petitio;
2. propositum, attamen nonnisi generale, maximo tamen, quantum fieri potest. voluntatis nisu conceptum;
3. diffidentia in se ipso ob notam inconstantiam et infirmitatem;
4. spes et fiducia in Dei auxilio;
5. petitio divini hujus auxilii;
6. animi ad perseverantiam contra emergentes in actuali propositi observatione difficultates obfirmatio;
7. ac denique actus caritatis flagrantissimæ ac benevola, ex cujus impulsu ac cujus contestandæ intuitu propositum particulare hic formatur; atque huic actui caritatis studiosius, insistendum est, quia propositum ex impulsu amoris conceptum fidelius et generosius observabitur, cum amanti nihil sit difficile.

Unde ad hunc actum magis intentendum expedit, imo oportet eum quasi in plures actus dividere: videlicet,

1. Deum ejusque beneplacitum præferendo seu utilitati seu difficultati, quæ a propositi observantia nos abducere posset;
2. gaudendo de gloria extrinseca, quæ Deo ex nostra fidelitate accedit;
3. optando ut hæc gloria immensa esset;
4. dolendo, quod hanc ei gloriam tamdiu simus suffurati;
5. contestando nostram erga ipsum amorem fideli propositi observantia;
6. invitando Beatos ad Deum amandum, eorumque amorem offerendo ad supplendum frigus nostrum;

7. denique nos ipsos perfectissime resignando ad omnia perdenda, ad omnia toleranda, ad omnia agenda, ut perfecta hac subjectione et conformitate nostræ voluntatis demus Deo gustum.

Hi affectus, quos his verbis memoriæ juvandæ causa includo: *Erubesce*, *dole*, *propone*, *obfirma animum*, *time*, *spera*, *pete*, *ama*, *amorem ipso opere comproba;* ita præfixum meditationi tempus implebunt, ut tamen illud excedant nunquam, quia non in multis et ornatis verbis, sed in intimo cordis sensu, motu ac suspirio consistunt. Curandum tamen, ut hi omnes affectus ad conceptum collineent propositum, itaque iis eliciendis insistendum est, ut nec inordinata capitis intensione nec pectoris contorsione sensibilem captemus devotionem, nostrum potius gustum quærendo, quam Dei beneplacitum, quod in desolatione longe securius invenitur; neque etiam anxie timendum, ne forsitan uni affectui diutius insistamus aut e contrario totum hoc exercitium ante tempus finiamus; nam illud prius non obest et hoc posterius evitari potest eosdem affectus denuo repetendo.

Interim ne hi affectus, utut intensissimi, in motione voluntatis mere transitoria ac sterili consistant, ad practicam et permanentem hoc est ad actualem morum reformationem, quæ sola genuinus et adæquatus totius meditationis fructus est, ordinari debent mediante proposito, quod nihil aliud est, quam resolutio voluntatis ad aliquid omittendum vel faciendum.

Hujus propositi, ne dicto citius in auras abeat, duæ præcipue sunt qualitates, nempe ut sit *serium* et *efficax*.

Serium dicitur, quando sincero fit animo et vero, non mere apparenti voluntatis consensu. Hanc consentientis voluntatis intentionem, ut certius obtineamus, multum producit:

1. Illud concipere coram Deo et omnibus angelis ejus;
2. sanctos omnes, præcipue qui illo die coluntur, invocare ut testes;

3. se ipsum oppignorare ad subeundam quamvis poenam, jacturam etc. in casu violati propositi;
4. illud pretioso Christi sanguine quasi obsignare ac in aperto ejusdem latere quasi in archivo includere, aliquando in die judicii in testimonium nostræ infidelitatis inde protrahendum;
5. determinare certam poenitentiam sponte nobis imponendam in casu violati propositi.

Efficax vocatur propositum, si actu observetur vel certe iis vestitum sit qualitatibus, ut de actuali ejusdem observatione prudenter timere non possimus. Tres sunt ejusmodi qualitates:

1. Ut propositum sit singulare, non vero multiplex, indeterminatum ac generale. Una ergo tantum aut ad summum una et altera res particulatim est proponenda, determinando simul locum, tempus et modum propositi exequendi ac selectis, si opus est, hunc in finem mediis;
2. debet esse practicabile h. e. tale, quod vel ea adhuc die vel certe proxima observari et in praxin deduci potest. Unde quia persæpe præter omnem expectationem deesse potest occasio actum externum in meditatione propositum ponendi, semper unum alterumve actum internum per diem eliciendum, determinato ad id tempore, statuamus; hujus enim eliciendi nec occasio nec tempus deerit unquam, simulque per frequentatos ejusmodi actus internos acquiritur habitualis quædam promptitudo animi ad similes actus externos quavis occasione ponendos, ac vel ideo quævis virtutes citius implantantur et solidius firmantur;
3. debet esse nobis accomodatum h. e. respicere debet necessitatem spiritualem propriam, non alienam, præsentem non futuram, ac denique magis ingentem, quo nomine venit tum vitium, in quod frequentius aut propensius labimur, vel quod profectum spiritualem magis im-

pedit sive plures post se trahendo defectus alios, sive proximius nos ad confinia peccati mortalis adducendo; tum etiam virtus aut determinatus alicujus virtutis actus corruptæ naturæ nostræ magis contrarius, aut plus conducens ad profectum nostrum spiritualem, ad aliorum ædificationem, aut disciplinæ regularis seu conservationem seu restorationem, vel ad quam virtutem Deus nos frequentioribus gratiæ impulsibus excitat et quæ plus humilitatis, abnegationis et nuditatis spiritualis in se continet.

Quia tamen ob inevitabiles laborum et occupationum distractiones facile concepti propositi oblivisci possumus, ne id fiat, ejusdem recordatio sæpius per diem est refricanda mediante tessera, sive brevi aliqua sententia vel meditationis veritatem vel conceptum propositum synoptice continente, quæ schedæ inscripta atque loco apto, pulpito aut scabello precatorio affixa, ac toties quoties ad illum locum accedimus aut ab eo recedimus inspecta, non solum oblivionem impedit, sed etiam, si per modum suspirii aut affectus fuerit concepta et sic in spiritu compunctionis iterata per diem ad Deum præsentem directa, conceptum in meditatione fervoris ignem, ne refrigescat, identidem suscitabit.

Quodsi idem propositum in Missa ad oblationem et communionem, in visitatione sanctissimi Sacramenti, ad signum salutationis angelicæ etc. renovemus, Deoque pro fideli ejusdem observantia humiliter supplicemus, nulla plane dies sine linea novæ reformationis et amplioris gloriæ nos præteribit. Nam, idque hic generaliter et maxime notari volo, omnis propositorum nostrornm firmitas, omnis nostra in bono perseverantia etc. ab humili in propriis viribus diffidentia, a firma in Deo fiducia et a constanti oratione dependet: Nisi enim Dominus aedificaverit domum, in vanum laboraverunt, qui aedificant eam. (Ps. 126.)

§ 6. De Partibus Meditationis accessoriis.

Partes meditationis accessorias numeramus quinque. Ex his tres meditationis quasi epilogum conficiunt:

1. colloquium in eo consistens, ut inter ardentes affectus concepta in meditatione proposita offeramus Sanctis illius diei, patronis, B. M. Virgini aut Christo Domino veluti ab ipsis obsignanda et confirmanda. Atque hoc quidem colloquium præcipue si Sancti illi, ad quos dirigitur, veluti nobiscum colloquentes inducantur ac nos ipsi pro diversitate materiæ consideratæ vel moventis intus gratiæ diversas induamus personas multum valet ad inflammandos affectus, ut adeo ipsum voluntatis exercitium hoc modo instituere quandoque expediat;
2. gratiarum actio pro acceptis gratiis illustrantibus ac moventibus nec non pro suggestis propositis ac concessis luminibus, offerendo nos ipsos totos divino servitio ac beneplacito pro tempore ac æternitate in unione oblationis Christi in cruce, B. M. Virginis aliorumque Sanctorum; denique
3. totum meditationis exercitium petitione ac supplicatione pro obtinendis gratiis ad reportandum ex hac meditatione fructum necessariis concludatnr, atque hæc petitio sic, ut et præcedens oblatio, juxta monitum D. Francisci Salesii fieri debent cum summa humilitate.

Duæ reliquæ, quæ supersunt meditationis partes accessoriæ finita meditatione obtinent, nempe:

1. Discussio sive examen, num meditati simus: Ferventer, quoad applicationem facultatum ac virium animæ;
2. reverenter, quoad situm corporis;
3. integre, quoad moram temporis ab obedientia præscripti;
4. ordinate, quoad regulas meditandi;
5. studiose, quoad præparationem;

6. fructuose, quoad lumina, affectus et propositum; cui discussioni statim conjungitur:

1. Actus brevis doloris, si ex nostra culpa vel defectus irrepsit, vel meditatio minus succesit, ob unum ex impedimentis supra art. I. § 6 et seq. determinatis forsitan a nobis positum; vel gratiarum actio adnectitur si meditatio bene successit, si ampliorem ac clariorem veritatis cognitionem, intentiores affectus et efficaciora habuimus proposita adeoque ariditatis et desolationis fuimus expertes;
2. annotatio luminum quo nomine veniunt affectus, qui magis ad cor penetrarunt, item speciales cognitiones, quæ internum animæ statum clarius nobis ob oculos ponunt, radices vitiorum, occasiones et pericula lapsuum, industrias sive media specialia pro implantandis virtutibus, eradicandis vitiis, reportandis ab amore proprio victoriis aut modum exactius adimplendi nutum divini beneplaciti demonstrant.

Ejusmodi autem lumina ordine alphabetico in adversaria referre omnino expedit, ut sic quovis tempore facilius possint inveniri, et seu pro examine aliquo particulari, seu pro, suscitandi fervoris adminiculo, seu pro dando aliis consilio queant adhiberi

Hæc ipsa denique adnotatio concludatur, seu gratiarum actione pro bono meditationis successu seu actu contritionis de malo atque culpabili successu, et serio proposito, detectam mali successus causam in posterum duplicata industriæ vigilantia evitandi.

§ 7. De Obstaculis bonae Meditationis et de Remediis oppositis.

Cum bonus meditationis successus non ab humana industria sed a gratia Spiritus Sancti dependeat, Spiritus autem sapientiæ, teste s. Scriptura (Sap. 1. 4. 5.) non introibit in malevolam animam, nec habitabit in corpore subdito peccatis, facile patet:

1. Obstaculum ex parte animæ esse peccata et vitia præcipue gulæ et luxuriæ, utpote quæ, vel maxime hebetant et excæcant intellectum, effeminant ac depravant voluntatem hominemque nimium animalem reddant, ut sic non possit percipere ea, quæ sunt spiritus. Hæc proinde frequenti detestatione ac jugi pœnitentia et mortificatione removeri debent.

   Cum vero teste eadem S. Scriptura, l. cit. **Spiritus enim sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu**; hinc

2. obstacula sunt inordinatæ ac prædominantes passiones, animique pacem ac tranquillitatem perturbantes affectiones, quas proinde jugis mortificationis ac continuæ abnegationis cultro rescindere oportet;

3. obstaculum est ignorantia tum praxis meditandi tum mysteriorum fidei veritatum supernaturalium ac principiorum asceticorum; cui malo medendum per frequentem lectionem, per conferentias spirituales et per exactam observationem eorum omnium, quæ in hoc articulo de praxi meditandi dicta sunt;

4. obstaculum est habitualis languor voluntatis, sive deinde ex fastidio aut modica æstimatione rerum spiritualium, sive ex inveterata consuetudine, rebus ac negotiis, quibuscunque seriis nonnisi remisse admodum se applicandi, nascatur; huic opponi debet magna æstimatio et amor rerum spiritualium, præcipue orationis mentalis, frequens exercitium piorum affectuum per usum precum jaculatoriarum aliorumque suspiriorum sive e psalmis sive ex aliis devotis libris collectorum, ac denique per laudabilissimam consuetudinem negotia quævis seria, non sacra modo, sed et profana, omni possibili animi intentione, attentione ac fervore peragendi.

Dantur etiam ex parte corporis obstacula bonæ meditationis, quorum:

1. Est phantasiæ vivacitas ac volubilitas, quæ sanari potest ac debet mediante perfecta sæculi renuntiatione seu melius oblivione, fuga nempe conversationum, colloquiorum ac rumorum sæcularium; studio recollectionis vel si materia meditationis patitur, mediante, ut supra § 3. dictum est, præludio sive imaginaria loci mysterii etc. constructione;
2. curiositas sensum praecipue oculorum, per quos ideae, distractionum semina aut producuntur aut resuscitantur; his proin frenum injiciat arcta eorundem custodia jugi compunctionis studio obtinenda;
3. amor commoditatis laborum, conatuum, incommoditatem ac levissimam qamque difficultatem muliebriter abhorrens, cui opponi debet juge studium discretae mortificationis, praecipue in rebus minimis et obviis;
4. intemperantia in cibo et potu praecipue ad noctem; ubi vel maxime studendum est temperantiæ, quia sobriam cœnam sobrius excipit somnus et sobrium somnum sequuntur serenæ vigiliæ;
5. deniqe somnolentia sive ex immoderatis vigiliis, sive ex intemperantia sive ex naturali corporis constitutione, sive etiam ex invidia diaboli oriunda, cui fortiter et constanter resistendum est, nos jugiter excitando mediis naturalibus somnum depellendo, causas somnolentiæ removendo et si nihil proficimus, eidem nunquam cedendo; quamdiu enim resistimus tamdiu vincimus, nec male oramus quamdiu ne male oremus, laboramus.

§ 8. De Precibus jaculatoriis.

Preces jaculatoriæ nihil aliud sunt quam brevissimæ aspirationes vel sola mente, vel mente simul et ore ad Deum directae, quarum familiarem usum veluti viam compendiosam ad veram devotionem et intimam unionem cum Deo non solum vitæ spiritualis magistri, sed et Ss. Patres, imo

Sancti quicunque tum verbis commendarunt tum factis; nec injuste, summa enim est illarum utilitas; nam, sunt:

1. Tutissimum contra quasvis tentationes remedium, quia Deum nobis practice et affectuose præsentem sistimus, in cujus conspectu vix impudentissimus peccare audebit;
2. sunt opportunum in quibuscunque angustiis auxilium aut certe solatium, juxta illud (Ps. 76, 3. 4.) **Renuit consolari anima mea, memor fui Dei mei, et delectatus sum;**
3. actuale exercitium orationis devotissimæ, utpote ob suam brevitatem a distractionis et teporis periculo remotæ;
4. sunt practica observatio illius præcepti dominici: **Oportet semper orare et non deficere,** (Luc. 18, 1.) quia inter quasvis occupationes, quin et inter ipsas recreationes exerceri possunt;
5. sunt continuata et practica recollectio, quia, ut ait D. Franciscus Sal.: *Intra Deum quis se recolligit, dum ad Deum aspirat, et ad Deum aspirat, ut se intra Deum recolligat, adeo ut ipsa aspiratio ad Deum et recollectio spiritualis sese mutuo producant;* (II. parte Introd. ad viam dev.)
6. sunt medium universale cuncta opera nostra cum excellentia peragendi seu perfecte operandi, in quo consistit ipsa perfectio; unde idem Sanctus (l. cit.) ait: Sine hoc exercitio vitæ contemplativæ non bene, et activæ nonnisi ægre admodum quis se dare potest, et sine illo quies omnis vitæ contemplativæ nonnisi otiositas est, labor vero vitæ activæ tantum impedimentum est et intricatio;
7. denique, quæ etiam est ratio præcedentis emolumenti, sunt interrupta unio, familiaritas et amorosa conversatio cum Deo, circa quem occupatur memoria recordando, intellectus credendo, voluntas diligendo, ut adeo tota vita hominis precibus jaculatoriis assueti nihil aliud sit,

quam Deum diligere, seu, quod idem est, Beatorum in coelis et æmulari occupationem et gustare felicitatem.

Unde equidem optandum, quin et conandum est, ut hæ preces, utpote divini amoris et indicium et exercitium et nutrimentum, continuæ quasi sint et ininterruptæ; quia tamen id vix in perfectissimo homine ob inevitabiles laborum ac negotiorum distractiones possibile est, hinc eo connitendum est, ut sint quam frequetissimæ, sicque moraliter saltem continuæ, quod fit, si illæ fideliter exerceantur:

1. Dum evigilamus;
2. ante quodvis opus, præcipue longioris durationis aut gravioris momenti;
3. sub ipsis opificiis ac occupationibus, præcipue profanis et tunc vel maxime ubi aut difficultas occurrit aut inordinata activitas subrepit;
4. post opera et occupationes;
5. ad horologii sonum;
6. tempore cujuslibet tentationis, afflictionis, tristitiæ, pusillanimitatis aut perturbationis;
7. sub lectione spirituali;
8. in conversatione, recreationibus ac animi relaxationibus;
9. sub refectione corporali.

Fons, ex quo piæ ejusmodi aspirationes hauriri debent, cor est, divini amoris igne succensum, quodsi enim nos ad certas precum formulas memoriæ impressas adstringere volumus, facile continget, ut eas aut solo ore proferamus aut sæpius omittamus, aut illas primo excogitando laboribus nostris ac negotiis remoramen injiciamus.

Discamus proinde ex omni re, quam videmus, audimus etc. bonam aliquam efformare cogitationem; ex hoc quasi naturaliter pias in Deum aspirationes e S. Scriptura, præcipue e psalmis, colligere, item sæpius et attentius legere varios libellos, in quibus amplior ejusmodi aspirationum

apparatus continetur*. Quæ tamen industria parum proderit, nisi simul studeamus obtinere et conservare cordis libertatem, quod fit phantasiam jugiter purgando a speciebus terrenis, cor evacuando a curis inordinatis et appetitum utcumque cohibendo ab inordinatis desideriis et passionibus tumultuantibus.

CAPUT V.

De Lectione spirituali.

Ut faciliter et utiliter meditemur, viam nobis sternit planam ac adminicula nobis suppeditat copiosissima lectio spiritualis, ut adeo vel ex hoc solo titulo instructioni de modo meditandi instructio de modo legendi subjungi debeat.

§ 1. De Necessitate Lectionis spiritualis.

Quum vi vocationis nostræ profiteamur vitam activo-contemplativam, lectio spiritualis non potest non esse singulis nobis summe necessaria; cardo enim vitæ contemplativæ in eo vertitur, ut extirpatis vitiis, expiatis peccatis ac implantatis solidis virtutibus jugiter ad majorem animi puritatem, spiritus libertatem et intimiorem cum Deo unionem enitamur; quem in finem non jam ea solum, quæ vitanda faciendave præcipiuntur, sed et illa, quæ mere consuluntur ac suadentur, item arcaniora vitæ internæ principia, aptiora sanctitatis requirendæ media, efficaciora hæc omnia fideliter ac fortiter adimplendi motiva sciri, paucis anima amplis-

* Quales sunt Bellecii "Christianus pie moriens," Alvarez de Paz, tom. III., l. 4; Card. de Bona, "In via comp. ad Deum," cap. 11 et seq.

sima spiritualium rerum notitia, ac piorum affectuum copia instrui debet, quæ aliunde, quam ex piis et ædificatoriis libris hauriri nullatenus potest.

Atque hæc necessitas longe major est in Religiosis Tyronibus, qui plerumque non solum crassa laborant rerum spiritualium ignorantia, sed et persæpe perversissimis infecti sunt principiis ac laxis dictaminibus in officina carnis, mundi ac diaboli excusis, quæ, nisi solidioribus sanctioribusque principiis elidantur ac eradantur, eosdem non solum vocationis sed etiam æternæ salutis amittendæ periculo exponunt proximo. Denique snmma illa quam ordinarie experiuntur Novelli, in meditando difficultas, teste S. Theresia, nullo citius aptiusque tollitur medio, quam lectione spirituali, qua mediante copiosa ac clara veritatum notitia non minus, quam efficacia ad convincendum argumenta et ad movendum motiva abunde suppeditantur.

Quanta lectionis spiritualis sit necessitas pro vita activa, vix probatione indiget. In hac agendum cum omnis generis, ætatis, conditionis ac sexus hominibus; tractandum, docendum, consulendum, instruendum in diversissimis et quandoque sat perplexis casibus; terrendi peccatores, animandi pœnitentes, juvandi proficientes, stabiliendi perfecti; paucis, omnibus omnia fieri oportet, ut alii lucrifiant. Sed quo ex penu, nisi lectionis spiritualis veluti ex thesauro proferri poterunt nova semper et vetera? Unde D. Paulus Thimotheum, quem episcopum consecraverat, monet: Attende lectioni, exhortationi, et doctrinae; hoc enim faciens, et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt. (I Tim. 4, 13, 16.) Dum e contra animarum pastores, hac eruditione spirituali destituti homines sunt, ut D. Judas ait: Semetipsos pascentes, nubes sine aqua, quae a ventis circumferuntur; arbores autumnales, infructuosae, bis mortuae, eradicatae; fluctus feri maris, dispumantes suas confusiones. (Jud. 1, 12 et sqq.)

§ 2. **De Modo instituendi fructuose Lectionem spiritualem.**

Ut uberes hosce producat fructus lectio spiritualis, alia ante lectionem, alia sub lectione, alia post lectionem observanda veniunt.

Ante lectionem:

1. Præmittenda est pura et bona intentio, eo spiritu et fine legendi, quo spiritu et fine liber scriptus est, scil. ad augendam Dei cognitionem et dilectionem ac promovendam hac ratione nostram aliorumque salutem: **Quæcunque enim scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt.** (Rom. 15, 4.) **Omnis quippe scriptura utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.** (II. Tim. 3, 16. 17.) Excludi proinde debet ab animo curiositas et vana jactabundæ eruditionis cupiditas;
2. ad lectionem afferri debet spiritualis fames, et ardens scientiam Sanctorum augendi aviditas; soli enim qui esuriunt et sitiunt justitiam saturabuntur, nam verbum Dei, quod cibus animæ est, eo melius nutrit, quo avidius concupiscitur; hinc minime legendum cum tædio ex tristi necessitate aut temporis dumtaxat fallendi gratia; unde
3. prærequiritur humilis cognitio et sincera agnitio propriæ suæ ignorantiæ in rebus quibusque divinis ac spiritualibus, quam amor puræ veritatis trahit ad legendum, ut adeo æque libenter devotos ac simplices libros legat, sicut altos ac profundos, utpote sciens, quod Deus arcana et sublimia sapientiæ suæ consilia abscondit a sapientibus et revelat parvulis, hoc est de se humiliter sentientibus; his enim dat gratiam, superbis autem h. e. de sua scientia et eruditione præsumentibus ac jam stylum, jam methodum, jam materias temeraria crisi perstringentibus ac nonnisi turgidis humanæ sa-

pientiæ verbis inhiantibus, resistit, ut videntes non videant, et audientes non intelligant, prout experientia abunde constat; hanc humilitatem

4. consequitur ardens ac fiducialis divinæ gratiæ imploratio, ut Deus, qui scientiarum Dominus est, a quo tamquam a Patre luminum omnis scientia descendit, nobis aperiat sensum scripturarum, et nos efficiat docibiles Deo.

Sub actuali lectione spirituali curandum, ut legamus:

1. Attente et tractim sine deproperatione, bene ruminando ac iis quæ nobis utiliora occurrunt diutius immorando; nec enim multa sed multum legendo sapimus, et sicut cibus nimis avide et copiose injectus gravat stomachum, sic lectio nimis deproperata memoriam et intellectum obruit potius, quam instruit;
2. reflexe, veritates et doctrinas nobis ipsis ad emendationem vitiorum et implantationem virtutum applicando;
3. devote, immiscendo preces jaculatorias aliosque affectus materiæ lectæ congruos;
4. studiose, formando bona proposita haustas doctrinas quovis tempore in opus deducendi, ac denique
5. ordinate, scil. observando tum selectum librorum tum libros singulos a capite ad calcem usque persolvendo; lectio enim vaga et fortuita non tam ædificat, quam dissipat, nec pietatem, sed curiositatem nutrit.

Post lectionem:

1. Lecta in synopsi et quoad substantiam rememorentur, ut sic profundius memoriæ impressa et eidem inhæreant tenacius et data quavis occasione refricentur certius;
2. notabiliora adnotentur et in adversaria ordine alphabetico redigantur, tum ea scil., quæ eruditioni deserviunt, tum et quidem multo magis illa, quæ ad propriam et aliorum ædificationem conducunt; denique

3. gratias agantur Deo pro illustratione intellectus et pia motione voluntatis, una cum humili oratione ad concepta proposita fideliter firmiterque observanda, sicque uberem ex lectione fructum reportandum.

§ 3. De Libris, qui prae caeteris legendi sunt.

Prima regula generalis est: non legantur nisi libri ædificatorii, i. e. tales, qui ad procurandam morum reformationem partim intellectum solidis principiis instruendo, partim voluntatem efficacibus motivis impellendo, faciunt, quod ex conceptu formali lectionis spiritualis patet, quia hoc nomine venit omnis et sola illa lectio, qua renovamur spiritu mentis nostræ et deponimus secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris (Ephes. 4, 22.); unde inhærendo tam litteræ, quam spiritui s. Regulæ (cap. 6. et 67.) una cum verbis scurrilibus, otiosis, risum moventibus, cum rumoribus et sæculi novitatibus, æterna clausura e monasterio excludendi sunt libri vani, profani, curiosi, multoque magis libri bonis moribus aut religioni præjudiciosi, quorum lectio nunquam non exterminium fuit omnis spiritus et disciplinæ monasticæ; imo nequidem libri boni ac de moribus formandis tractantes passim legendi sunt, si aut nimium flosculose conscripti aut ab heterodoxis compositi sunt; nam illi cor quasi effeminatum et ad seria serio tractanda ineptum reddunt: isti vero principiis falsæ religionis characteristicis innixi, saltem minus cautos, minusque in dogmaticis versatos aut pervertunt aut perturbant.

Regula secunda generalis est: ii legantur libri quos aut superior præscripsit aut pater spiritualis consuluit. Ratio primi est, quia hi sunt legitimi interpretes divinæ circa nos voluntatis, ac interveniens hoc in puncto humilis et abnegationis plena obedientia, ampliorem Dei gratiam et vel ideo ampliorem e lectione fructum nobis confert; quodsi ta-

men a parte rei aliquis e libro per superiorem determinato, non obstante quod omnes bene et fructuose legendi conditiones observaverit, nullum omnino posset haurire fructum, i. e. ædificationem, is idipsum fiducialiter insinuare ac pro alio libro humiliter supplicare poterit, modo id faciat animo ad quamvis superioris dispositionem indifferenti. Ratio secundi est, quia in selectu utilium librorum tum legentis capacitas, tum spiritualis necessitas est attendenda, quæ nemini melius quam patri spirituali est perspecta; quodsi enim in hoc puncto nostro fidimus judicio, sæpe sæpius amoris proprii, curiositatisve iniquitas mentietur sibi.

Præmissis regulis hisce generalibus, ad particularia descendendo, primum et dignitate et utilitate locum sibi vindicat S. Scriptura: dignitate quidem, quia verum et purum verbum Dei est: **Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati, locuti sunt sancti Dei homines** (II. Petri 1, 21); utilitate vero, quia: **Vivus est sermo Dei et efficax et penetrabilior omni gladio ancipiti, et pertingens usque ad divisionem animæ ac spiritus, compagum quoque ac medullarum** (Heb. 4, 12.); ac insuper artificio plane divino et nulli hominum imitabili, miram sensuum varietatem ac unctionis abundantiam cum summa styli simplicitate conjungit. Paucis, ut cum Ss. Patribus loquar, est epistola Dei ad nos data, ut esset infallibilis agendorum credendorumque regula ac magistra veritatum ad obtinendam salutem necessariarum, seu theoreticæ illæ sint seu practicæ, quas ratio humana sibi sola relicta vel nullatenus vel nonnisi imperfecte attingit.

Interim, ut ex lectione S. Scripturæ optatus hauriatur fructus, præter conditiones § 2. allatas ante omnia legi debet cum captivatione intellectus in theoreticis, in obsequium divinæ Omniscientiæ et Omnipotentiæ ac cum promptissima docilitate voluntatis in practicis, ob illimitatam præcipientis auctoritatem; ratio vero nonnisi discrete et cum humili sub-

jectione tam erga Deum quam erga Ecclesiam in subsidium vocanda est.

In ipsis quoque Bibliorum libris habendus est selectus ita, ut libris historicis ac propheticis præferantur libri, qui præcepta, promissa et dogmata, seu quod idem est, instructionem ac doctrinam fidei ac religionis immediate continent, quales sunt libri Novi Testamenti ac libri Morales Veteris Testamenti, scil. Proverbia, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus et Psalterium.

Alterum post S. Scripturam locum sibi vindicat s. Regula, Statuta Congregationis et scripta ascetica, quo nomine non solum Tyrocinium hocce, sed et adnotationes meditationum ac lectionis spiritualis intelliguntur. Priora enim duo immediate continent obligationem professionis nostræ, nobisque voluntatem Dei circa nos per ordinationes superiorum indubie manifestant; posteriora vero prima vitæ spiritualis principia fundamentalia non solum, sed et illam conscientiæ teneritudinem ac generosam fidelitatem, qua tum in Novitiatu, tum primis monasticæ conversationis annis erga illa affecti fuimus, nobis identidem in memoriam revocabunt sicque in fervore novitio conservabunt, aut certe incusso salutari rubore non minus, quam timore ad eundem iterato excitabunt.

Tertius denique locus tribuitur libris et operibus Ss. Patrum aliorumque probatorum Theologiæ mysticæ et asceseos magistrorum, quorum uti ingens est numerus, ita nonnisi consulto patre spirituali faciendus est selectus. Atque hæc, quæ modo de libris pro lectione spirituali assumendis allata sunt, prope eodem ordine præscribit s. Regula (cap. 73.).

Cæterum haud inutile fore arbitror, si hoc loco apponam distributionem librorum Veteris et Novi Testamenti ita concinnatam, ut si quis quovis die mane aliquot versus Novi Testamenti cum unico capite ex libris moralibus vel propheticis Veteris Testamenti, vespere vero unum aut duo capita

librorum historicorum Veteris Testamenti legat, intra unius anni curriculum totam absolvere possit S. Scripturam.

§ 4. De Distributione Librorum utriusque Testamenti in singulos menses pro lectione spirituali.

Mense Januario: Legatur Liber Genesis cum primis duodecim capitibus Libri Exodi: Liber Proverbiorum cum primis viginti capitibus D. Matthæi, e quibus prolixiora dividi possunt.

Mense Februario: Legatur residuum Libri Exodi una cum Libro Levitico, Ecclesiastes, Canticum Canticorum, et octo prima capita Libri Sapientiæ cum residuis octo capitibus D. Matthæi et primis decem D. Marci.

Mense Martio: Legatur Liber Numerorum et viginti sex priora capita Deuteronomii cum undecim ultimis capitibus Libri Sapientiæ cum viginti primis Libri Ecclesiastici, sex ultima capita D. Marci cum quatuordecim primis D. Lucæ.

Mense Aprili: Legatur residuum Deuteronomii, Josue, Judicum et Ruth; residuum Ecclesiastici cum decem ultimis capitibus D. Lucæ et decem primis D. Joannis.

Mense Majo: Legantur duo primi Libri Regum, priora triginta capita Isaiæ, undecim posteriora D. Joannis et octo prima Actuum Apostolorum.

Mense Junio: Legantur duo posteriores Libri Regum, triginta tria posteriora capita Isaiæ, viginti posteriora capita Actuum Apostolorum.

Mense Julio: Legatur Liber primus Paralipomenon: triginta priora capita Jeremiæ, Epistola ad Romanos et octo capita primæ Epistolæ ad Corinthios.

Mense Augusto: Legatur Liber secundus Paralipomenon, viginti duo posteriora capita Jeremiæ, Threni et Baruch; octo posteriora capita primæ Epist. ad Corinthios et secunda Epistola ad eosdem.

Mense Septembri: Legantur Libri Esdras, Nehemias et Tobias; priora triginta capita Ezechielis ac Epistolæ ad Galatas, Ephesios, Philippenses, Colossenses et Thessalonicenses.

Mense Octobri: Legantur Libri Judith, Esther cum decem capitibus Libri Job; duodeviginti posteriora capita Ezechielis et Danielis; Epistolæ ad Timotheum, Titum, Philemonem et Hebræos.

Mense Novembri: Legantur triginta posteriora capita Job; Prophetia Oseæ, Joëlis, Amos, Abdiæ et Jonæ; septem Epistolæ canonicæ.

Mense Decembri: Legantur duo Libri Machabæorum; Prophetia Michææ et reliqui Prophetæ minores, et Apocalipsis. Psalmi, quia aliunde quotidie manibus terentur, in hac distributione consulto omissi fuerunt. Quodsi quis omissis libris historicis ac mere propheticis solos libros morales juxta datam superius regulam legere voluerit, substitutio in locum librorum pro mense Decembri assignatorum, Psalterio, huic insistendo distributioni nec materia deerit pro lectione nec tempus pro lectorum practica ruminatione.

CAPUT VI.

De quotidiano Conscientiæ Examine.

Mors certa, incerta mortis hora, calcar illud est, quo ipse Christus Dominus ad perpetuam nos excitat vigilantiam dicens: Vigilate quia nescitis diem neque horam. (Matth. 25, 13.) Vigilantia autem ista in eo consistit, ut semper parati simus ad illud terribile instans, quo Nos manifestari oportet ante tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit sive bonum, sive malum. (II. Cor. 5, 10.) Jam vero optima hunc in finem præparatio

est, si nos ipsos dijudicemus juxta illud Apostoli: **Si nos ipsos dijudicaremus, non utique judicaremur.** (I. Cor. 11, 31.) Hoc ipsum proinde quotidie fieri debet in examine conscientiæ, et hic proprius hujus exercitii finis est et scopus. Et forsitan vix aptius et efficacius in hunc finem excogitari poterit medium; mediante enim hoc exercitio rite instituto acquiritur sui ipsius *cognitio*, unde oritur sanctum sui ipsius *odium* et *vilipensio*, quæ tria fundamentum vitæ spiritualis solidum constituunt.

Accedit alterum emolumentum, scilicet quotidiana defectuum detestatione et deploratione præcaveri, ne peccata infirmitatis fiant peccata malitiæ et in malos transeant habitus. Imo ipsi etiam, si in anima nidulantur mali habitus, citius feliciusque exstirpantur, dum quotidie in eorundem radices inquiritur, eædemque aptis propositis et opportunis mediis resecantur.

Denique, cum in hoc exercitio plures exerceantur virtutum actus, multiplex pariter quotidie acquiritur augmentum gratiæ ac benedictionis divinæ, ut adeo non solum declinare a malo, sed et facere bonum edocti quotidiano justitiæ christianæ exercitio sic pœniteamus, ut pro commissis satisfaciendo contra committenda nos obarmemus et dignos pœnitentiæ fructus faciamus. Atque hæc quidem ad commendandum hoc exercitium abunde sufficere arbitror.

Praxin quod attinet, eandem docebit geminus articulus, in quorum primo de examine generali, in altero de examine particulari agetur.

ARTICULUS PRIMUS.

De Examine Conscientiæ generali.

Examen conscientiæ generale est quotidiana vitæ nostræ et omnium actionum ab uno examine ad aliud rite instituta expensio seu discussio, in eum finem, ut quas discutiendo

deteximus culpas, defectus et imperfectiones, earumque radices, contritionc de præsenti deleamus et proposito in futurum emendemus.

Ex hac descriptione facile patet differentia hujus examinis ab examine particulari et illo, quod confessioni sacramentali præmittitur; illud enim prius circa determinatos, imo individuales unius tantum vitii aut virtutis actus versatur, dum hoc e contra circa omnia cordis, oris aut operis delicta seu commissione seu omissione perpetrata occupatur. Alterum discutit cogitata, dicta et facta totius illius temporis, quod ab una ad aliam confessionem intercedit, hoc vero unius tantum diei limitibus circumscribitur.

Patet quoque ex eadem descriptione hujus exercitii scopus, videlicet, ut commissa peccata seria contritione delentes cum Deo reconciliemur, et ut perspectis quotidianorum defectuum causis et occasionibus, easdem amputare firmiter statuamus, sicque solidæ ac stabili morum conversioni prospiciamus. Geminum hunc finem certissime consequemur, modo exercitium hoc rite instituatur ac singulæ ejusdem partes exacte observentur.

Hujus autem exercitii partes sunt:

1. Gratiarum per diem acceptarum brevis recordatio et humilis pro eisdem gratitudo, ut magis palpabilis fiat nostra in Deum tam liberalem ingratitudo;
2. petitio gratiæ tum illustrantis ad cognoscendos singulos defectus eorumque radices, tum moventis ad eosdem serio detestandos ac denique adjuvantis ad eosdem constanter emendandos;
3. actualis conscientiæ discussio, quæ debet esse;
   a) Ordinata, observando scilicet certum ordinem ac methodum, qualis sat exacta æque ac commoda illa est, quæ habetur in libello precatorio, quæ per singulas diei actiones ac horas discurrendo sollicite indagat, quid in singulis earum contra Deum, proximos ac nos ipsos peccaverimus;

β) succincta, ut scilicet intra tempus a sancta obedientia huic exercitio præscriptum ita absolvatur discussio, ut eliciendæ contritioni formandoque proposito, unde hujus exercitii fructus præcipue dependet, justum adhuc relinquatur spatium;

γ) exacta, scilicet non tepide sed industriose, non præcipitanter et dimidiate, sed integre discutienda sunt omnia, nec in fallaci amoris, carnis, mundive statera ponderanda, sed in pondere sanctuarii, juxta principia Evangelii, s. Regulæ præcepta, purioris asceseos dogmata ac sanctorum prædecessorum nostrorum dicta et facta, libranda sunt eo rigore, quo quis in articulo mortis suam discuteret conscientiam; discussionem excipit

4. contritio quantum fieri potest perfecta et justificativa, quæ proinde saltem in genere ad omnia totius vitæ nostræ peccata, præcipue occulta, extendere se debet atque intenso perfectæ caritatis motivo animari;

5. dolorem subsequitur veniæ petitio plena ruboris, confusionis et profundæ humilitatis, ad quam sponte quasi sua consequitur

6. propositum, quod particulare et individuum ac omnibus illis vestitum sit qualitatibus, quas supra cap. IV. art. III. § 5 de proposito meditationis attulimus; denique

7. statuenda est mulcta seu arbitraria pro peccatis pœnitentia, v. g. visitatio Sanctissimi, lectio spiritualis aut meditatio extraordinaria, speciale examen particulare, gestatio cilicii, abstinentia, disciplina, aliave austeritas corporalis, quæ tamen austeritates nonnisi cum consensu superioris vel patris spiritualis suscipiendæ sunt; sic enim vitia magis ac citius eradicantur, horror peccati practicus implantatur, ac sancti hujuscemodi rigoris metu anima a relapsu fortius retrahitur. Atque mulcta

hæc arbitraria uti pro grandioribus excessibus necesssaria est imponenda, ita nec pro minoribus defectibus est omittenda, ut sic curam minimorum, maximum illud solidandæ virtutis adminiculum, jugiter suo in vigore conservemus.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Examine particulari.

§ 1. De Notione, Utilitate et Praxi hujus examinis.

Examen particulare est monomachia sive certamen singulare quotidiano examine ac proposito certum et denominatum vitium tamdiu impugnans, usquedum radicitus exstirpetur, vel conatus quotidianus certam et determinatam virtutem implantandi. Nam tum virtutes tum vitia possunt esse objectum hujus exercitii, quod Ss. Patres ac vitæ spiritualis magistri veluti medium efficacissimum ac quasi unice sufficiens ad exstirpanda vitia et implantandas virtutes nunquam non commendarunt; sicuti enim nemo unus de repente aut optimus aut pessimus evadit, sic neque vitia uno ictu amputantur, nec virtutes uno actu implantantur: sed sicut natura per gradus incedit, sic et gratia ordinarie nonnisi successive hominem purgat et sanctificat.

In hoc proinde exercitio eo collineare debet nostra industria et solertia, ut nunquam nimis generaliter sed quantum fieri potest particularissime et individualiter procedamus, pro ejusdem objecto seligentes actus individuos, h. e. omnibus circumstantiis *loci*, *temporis*, *personæ*, *modi numerique* determinatos, et sic ab una circumstantia ad alteram, ab uno actu ad alterum, ab uno gradu ad alterum gressum promoveamus.

Praxin quod attinet, illa a praxi examinis generalis non differt, ac omnes ejusdem partes eodem prorsus ordine involvit; unam tamen superaddit scilicet defectuum ac profectuum annotationem et collationem, quæ huic exercitio essentialis, characteristica et veluti constitutiva pars est; hac enim mediante nobis innotescit, utrum et quantum de septimana in septimanam, de anno in annum proficiamus aut deficiamus, aut saltem in eodem luto hæreamus, id quod scire vel maxime oportet, ut sic de mali origine, occasionibus, illiciis, de mediorum efficacia aut inefficacia, de propositorum nostrorum firmitate aut infirmitate securius solidiusque judi-care possimus.

In hac autem annotatione exacte et ordinate procedendum est, adeo, ut si examen particulare versatur circa vitium exstirpandum, annotentur defectus sive actus vitiosi commissi, sin vero agitur de implantanda virtute, profectus sive actus virtuosi exerciti annotari debeant; actus etiam reflexi, h. e. illi qui fiunt aut omittentur cum explicita recordatione propositi in hoc examine facti, specialiter notandi sunt, quia ex his omnium facillime de fructu ex hoc exercitio hausto concludi potest.

Ex his facile patet fructum exercitii vel maxime dependere a proposito, quod sequentes debet habere proprietates:

1. Debet *serium* et *firmum* esse, h. e. non obiter ac perfunctorie, sed magno fervore et intenso seu virtutis implantandæ amore, seu vitii exstirpandi odio conceptum, quia *Secundum propositum nostrum est cursus profectus nostri* (Imitat. Chr., l. I., c. 19.). Quod si fortiter proponens sæpe deficit, quid ille, qui raro aut minus fixe aliquid proponit? Unde oportet ut primævum propositi fervorem jugiter conservemus, si non quotidie, saltem frequentissime aliquid legendo aut meditando de illo vitio vel virtute, circa quam versatur examen particulare;

2. *forte* et *longanime*, ut nec difficultatum magnitudine nec laboris impendendi diuturnitate labefactetur unquam;
3. *prudens* et *discretum*, ut nec nimis multa nec nimis ardua nec nimis generalia, sed particularia et quasi individualia proponamus, per gradus a facilioribus ad difficiliora ascendendo caveamus, ne imprudens et vel ideo inutilis conatus reportandi fructus spem suffocet, et sic hujus exercitii tædium animo nostro ingeneret;
4. denique debet esse conjunctum cum *vigili* et *sollicita cura*, quæ hoc propositum per diem sæpius in memoriam revocat, ejus violandi pericula caute prospicit, sollicite declinat, contra eadem animum præmunit, occasiones illud observandi fideliter apprehendit, quin et studiose inquirit, defectus amare deflet, severe punit, de novis et efficacioribus mediis identidem cogitat, ac pro felici conatus successu illius auxilium et gratiam humili ac fervente prece quotidie efflagitat, qui docet manus nostras ad prælium et digitos nostros ad bellum.

§ 2. De Electione Materiæ hujus examinis.

Ex iis quæ paragr. præced. dicta sunt, facile patet in hac monomachia spirituali opus esse electione prudenti sive vitii exstirpandi sive virtutis implantandæ. Unde hunc in finem assignare has regulas oportet:

1. Pro materia examinis particularis assumatur vitium vel passio prædominans, unde videlicet reliqua vitia vel omnia vel certe potissima ac reliquarum passionum et affectuum inordinatio originem trahit;
2. si quis, ut sæpe fit, pluribus vitiis aut passionibus æqualiter infestatur, seligatur passio et vitium perniciosius, quod scilicet profectui spirituali, solidæ morum conversioni, caritati Dei aut proximi majora et frequentiora ponit obstacula;

3. qui pluribus vitiis æqualiter nocivis impugnatur, primitus vitia externa exstirpet, quæ cum oculis aliorum patent, generando scandalo, evertendæ disciplinæ, lædendæ paci ac caritati magis apta sunt, ac bonæ æstimationi tum privatæ tum ipsius communitatis magis periculosa, qualia sunt in religioso morum immodesta dissolutio, mundana levitas ac incompositio, contentio, detractio, murmuratio, hypocrisis;
4. exstirpatis hisce vitiis exterioribus ad eliminanda vitia interna convertatur, implantando scilicet illas virtutes, quæ statui ac vocationi nostræ sunt characteristicæ et fundamentales, videlicet: excellentia in operibus quotidianis, profunda humilitas, cæca ac prompta in omnibus obedientia, constans mortificationis et abnegationis studium, terrenorum contemptus, invicta patientia ac perfecta in voluntatem Dei resignatio.

Sed hoc ipsum determinare quodnam sit vitium vel passio prædominans, res est magnæ artis et multæ indaginis, cui sublevandæ haud parum deserviunt regulæ sequentes:

1. Sæpius indagare in causam proximam lætitiæ et tristitiæ solito majoris, qua subinde cor afficitur; ab hac enim causa uno alterove passu retrogradiendo facile in passionem prædominantem offendemus;
2. sollicite attendere undenam oriantur quotidiani defectus nostri ac peccata illa, in quæ frequentius prolabimur;
3. invigilare de qua re sæpius veluti inviti, certe indeliberate, cogitemus illam vel desiderando vel metuendo; denique
4. vigili oculo observare indicia illa, quibus passio prædominans ab aliis se distinguit; sunt autem sequentia:
   a) In omnes prope actiones, intentiones, negotia sese insinuat;

β) ubi contingit cor a diversis affectibus in diversas trahi rapique partes, affectio sive passio prædominans palmam semper reportat;

γ) sese studiosissime occultat, eloquentissime excusat, nihilque ægrius tolerat, quam si in suspicionem trahatur aut nobis objiciatur;

δ) utut hoc vitium oculos plerumque proprios fallat, alienos tamen facile offendit; unde illud, quod nobis ab aliis, præcipue si erga nos commotioris sunt animi, exprobratur, communiter aut certe sæpius in nobis reprehenditur, tuto veluti vitium prædominans respicere possumus, quin et debemus.

Detecto semel per has industrias vitio, in eodem impugnando iste servetur modus, ut scilicet per actus virtutis oppositæ illud impugnemus; sic enim citius expugnabitur et utilius, dum una eademque, ut loqui solemus, fidelia et malum oblitteramus et bonum induimus. Actus autem isti non solum externi sed vel maxime interni sint; his enim exercendis nec tempus, nec locus, nec occasio deest unquam, prouti tamen externis quam frequentissime deese solent. Insuper per actus internos acquiritur citius profundiusque cordi imprimitur habitus, sive animi propensio, qua acquisita actus externi quasi sponte sua et veluti connaturaliter sequuntur. Accedit quod per actus internos homo interior reformetur, sine cujus reformatione, quantacunque demum exterior reformatio, nec multum proderit nec diu durabit. Ceterum huic pio conatui tamdiu insistendum est, donec vitium non solum infirmetur sed omnino exstirpetur. Censetur autem vitium infirmatum, quando quis occurrentes etiam graviores tentationes ad actus tali vitio proprios impellentes facili negotio vincit. Quodsi quis occurrente tali tentatione

vel omnino sola cogitatione de actibus tali vitio propriis incidente statim per horrescit, et ad aversionem movetur, talis de vitio exstirpato gaudere potest in Domino.

CAPUT VII.

De Manifestatione superiori sive patri spirituali fideliter facienda.

Manifestationis nomine intelligitur candida et exacta declaratio, qua vel superiori nostro vel patri spirituali fidelissimam reddimus rationem de statu animæ nostræ. Non solum s. Regula iterato tum cap. 4. instrumento 51 tum cap. 46. hanc manifestationem præscribit, sed et Ss. Patres ac vitæ spiritualis magistri eandem veluti ingens spiritualis perfectus adminiculum consono ore deprædicant. Et certe, communi naturæ nostræ vitio ita comparati sumus, ut cum festucas in oculis nostri fratris videmus, trabes in propriis ne palpemus quidem; et ab amore proprio excæçati morbos ac vulnera animæ nostræ non agnoscamus, imo et occultemus, atque etiam amemus; glaucomati huic abstergendo solo illi pares sunt, quos Deus imposuit super capita nostra; nam sicut illis Deus injunxit obligationem officium patris, magistri, consiliarii ac medici spiritualis erga suos subditos obeundi, sic vicissim subditos obligavit id omne observare, quidquid patri filius, magistro discipulus, consiliario dubius ac medico debet ægrotus, h. e. amorem, confidentiam, docilitatem, ac candoris plenam sinceritatem; unde eo prorsus modo, quo quilibet corporaliter ægrotans vulnera, morbos, morborumque radices candide detegere in conscientia

ex jure obligatur, quilibet subditus superiori ac patri suo spirituali morbos animæ detegere obligatur.

Quæ quidem obligatio in F. F. Tyronibus longe est maxima; hi enim quantum hospites et peregrini sunt in scientia Sanctorum, tantum plerumque turgent sapientia hujus mundi, h. e. perversissimis principiis, laxissimis dictaminibus, periculosissimis præjudiciis, quibus dementati virtutem parvi pendunt, solidissima asceseos principia suspecta habent, jugum religionis aut subdole declinant, aut infideliter portant, aut veluti intolerabile cum summo æternæ felicitatis præjudicio excutiunt, nisi in tempore sincera manifestatione virus evomant et meliora edoceri satagant. Unde S. Dorotheus directe asserit: *Dicunt aliqui, ideo cecidit hic, hac de causa egressus est ille e monasterio, nam morbus eum compulit exire, vel parentes, at ego dico, nec hoc, nec illud in causa fuisse, sed quod ipse jam inde ab initio se non detexit, nec locum, nec rationem superiori dare voluit.* Nec mirum, subdola enim hujusmodi sui ipsius occultatio effectus est superbiæ occultæ, prout asserit D. Basilius: *Intolerabile est superbiæ argumentum existimare, nullius se egere consilio, sed sibi uni contentum esse, quasi solus posset sibi consilio decernere, quæ optima sunt.*

Unde tales sapientissimæ Providentiæ suæ inversores Deus punit cæcitate mentis et obduratione cordis, ut videntes non videant et audientes non intelligant datique in reprobum sensum evanescant in cogitationibus suis. *Qui enim se sibi magistrum constituit, stulto se discipulum subdit.* (D. Bern. ep. 37.)

Denique seu ad superandas tentationes, seu ad eludendas antiqui serpentis fraudulentas machinationes præsentissimum et efficacissimum remedium est sincera manifestatio; princeps enim tenebrarum latebras amat, et ideo, ut ait Cassianus: *E tenebroso specu virtute confessionis protractus ad lucem et traductus, dehonestatus abscedit.*

Manifestatio hæc aut ordinaria est aut extraordinaria. Prior fit exigente ipsamque manifestationis materiam præscribende superiore aut patre spirituali. Posterior fit pro cujuslibet arbitrio aut necessitate, nulli tempori alligata nullisque materiæ limitibus circumscripta, utpote complectens id omne, quod ad statum animæ tum internum tum externum spectat, videlicet tentationes, perplexitates, adversitates affectus, propensiones, inclinationes, passiones, spiritualis profectus tum obstacula tum adminicula, frequentiores, quas in anima quis experitur inspirationes, inclinationes speciales ad certas quasdam virtutes, res spirituales et pias materias, intentiones, quæ in operando primatum tenent, æstimationem vocationis, studium pia desideria in se suscitandi et alendi, donum denique ac gradum orationis.

De his proinde omnibus in manifestatione reddenda est ratio:

1. Mature, ne mala per longas invalescant moras;
2. humiliter, cum abnegatione judicii proprii ac heroica victoria superbiæ, nævos ac vitia sua occultare solitæ;
3. breviter et succincte, evitatis otiosis et ad rem non pertinentibus narratiunculis;
4. fideliter ac sincere, nihil occultando;
5. clare et distincte, nihil terminis æquivocis et amphibologicis involvendo;
6. dociliter, consiliis acquiescendo, monitis obtemperando, mediis præscriptis fideliter utendo.

Manifestatio hujusmodi semper quidem fieri potest Domno Abbati, utpote qui per eminentiam pater spiritualis est omnium suorum subditorum, communiter tamen fieri consuevit senioribus spiritualibus, quos in partem sollicitudinis pastoralis vocat Abbas, h. e. directoribus et confessariis; de his verificatur illud Christi Domini: **Qui vos audit, me audit** (Luc. 10, 16.); **Hi sunt, quos imposuit Deus super capita nostra** (Ps. 66, 12.) ut ex eorum ore

requiramus legem, quorum labia custodiunt scientiam (Malach. 2, 7.) Proinde licet et homines sint, et fortasse hinc inde aliquid humani patiantur, confidentiam tamen erga eos amittere debemus nunquam, memores illius, quod nobis s. Regula inculcat: *Præceptis Abbatis in omnibus obedire; etiam si ipse aliter* (*quod absit*) *agat, memores illius Dominici præcepti:* Super cathedram Moysis sederunt Scribæ et Pharisæi: quæ dicunt facite, quæ autem faciunt, facere nolite! (cap. 4, instr. 61; Matth. 23, 2.) Vel, quid demum interest per quos ad se nos velit dirigere Deus, cujus omnipotentia ac sapientia nulli seu scientiæ seu dexteritati seu probitati creatæ est alligata? Procul ergo absint quævis suspiciones, judicia temeraria, et quidquid seu aversionem seu amaritudinem erga patrem spiritualem animæ instillare potest. Imo quidquid in superiore aut patre spirituali nos offendit et ab eis monitis ac consiliis quomodocunque avertit, id candide et sincere eidem aperiamus; hic ipse filialis candor ac minime fucata sinceritas nobis honori, ipsi solatio erit. Paucis indubitate credamus, quod Deus in paterna providentia, in qua statuit homines per homines docere ac dirigere, possit perficere, ut quisquis sincere et candide agit cum moderatore conscientiæ suæ, is optime manuducatur, etiam si ille nec pietate nec scientia emineat. E contra illud æque firmissime nobis persuadeamus, quod Deus, cui abominatio est illusio omnis (Prov. 3, 32.) vindici sua justitia efficiat, ut quisquis subdole et fraudulenter cum suo se gerit directore, eundemve suæ commoditati, suæque voluntati obsequentem vel quærit vel amphibologica subreptione seducit, is etiam a piissimo ac doctissimo viro male manudacatur, quia Deus eludit illusores. (Prov. 3, 34.)

CAPUT VIII.

De Modestia ac Gravitate religiosa.

Ex instructionibus hucusque subministratis didicimus hominem reformare interiorem; superest ut discamus exteriorem pariter ad recti normam dedolare; ad utrumque enim nos obligamus dum in sacra professione solemni juramento conversionem morum nostrorum promittimus. Totum prope reformationis hujus exterioris negotium unico verbulo comprehenditur, videlicet *Modestia*, cujus proinde naturam, necessitatem ac regulas tum generales, tum particulares distinctis paragraphis succincte enucleabimus.

§ 1. De Notione Modestiae ac Gravitatis religiosæ.

Unanimi Patrum ac celebriorum ascetarum sententia describitur modestia, quod sit virtus moralis, quæ verba, actiones ac motus exteriores totius corporis debite moderatur, adeo ut quod in sua Regula (p. III. c. 40.) præscribit D. Augustinus: *In omnibus moribus nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod nostram deceat sanctitatem.* Unde et Card. Bona partes actusque modestiæ sic describit: *Vestes habere semper mundas, quietas manus, faciem hilarem, frontem serenam, oculos demissos, gravem incessum, sermonem placidum, risum discretum, mores ingenuos totumque corpus ita dispositum, ut nihil appareat, quod vel in minimo offendere posset oculos intuentium* (in horol. asc.).

Modestia itaque quam latissime patet nec tam virtus simplex est, quam plurium virtutum moralium complexus; involvit enim honestatem, verecundiam, humilitatem, mansuetudinem, veracitatem, sinceritatem, prudentiam ac civilem humanitatem.

His si destituta sit comitibus aut fucata tantum aut certe brevi disparitura erit.

Ex quo ulterius patet fundamentum religiosæ gravitatis esse sanctum quemdam timorem ac laudabilem pudorem, qui ex recollectione practica et affectuosa Dei ubique præsentis recordatione nascitur, et per preces jaculatorias ac pia suspiria nutritur. Unde S. Pater hanc practicam Dei recordationem iterato commendat, non solum veluti efficacissimum virtutum ac bonorum operum instrumentum (c. 4. instr. 49.), sed et veluti vitiorum et peccatorum exterminium ac humilitatis tum internæ tum externæ, quæ est ipsissima modestia religiosa, fundamentum (c. 7.).

§ 2. De Necessitate Modestiæ ac Gravitatis religiosæ externæ.

Necessitas hæc triplici fundatur titulo videlicet:

Professionis christianæ, vocationis religiosæ ac odoris bonæ famæ.

Primum quod attinet, sufficit dicere quod modestia sit virtus Christiani characteristica; hanc enim veluti capitale ac fundamentale dogma suis sequacibus inculcavit ipsemet Christus illis verbis: **Discite a me, quia mitis sum et humilis corde** (Matth. 11. 29.), quamque suo exemplo ita luculenter comprobavit, ut D. Paulus monitis precibusque suis ab eadem pondus et energiam petere haud dubitaverit dicens: **Obsecro vos per mansuetudinem et modestiam Christi** (II. Cor. 10, 1.); unde idem Apostolus pluribus in locis fideles ad hujus virtutis studium adhortatur: **Induite vos sicut electi Dei benignitatem, modestiam, humilitatem** (Col. 3, 12.); **Rogamus vos fratres, ut honeste ambuletis ad eos, qui foris sunt** (Thes. 4, 11.); **Ut honorem invicem præveniemus** (Rom. 13, 10.); **Ut reddamus honorem, cui decet honor** (ib. 13, 7.); ac denique simpliciter præcipit: **Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.** (Phil. 4, 5.)

Hujus præcepti rationem adæquatam Doctor gentium illis verbis complexus fuisse videtur: **Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus** (Rom. I2, 17.).

Sic enim mentem Apostoli interpretatur D. Bernardus dicens: *Debet quisque quantum potest se irreprehensibilem exhibere, primum quidem coram Deo, deinde etiam coram hominibus. Tribus quidem coram hominibus bona provideamus: habitu, ne sit notabilis; actione, ne sit reprehensibilis; sermone, ne sit contemptibilis.* Hoc adeo verum indubitatumque censuit D. Joannes Chrisostomus, ut asseruerit: *Fidem mundi luminare ac solem esse congruum est et ex omnibus partibus manifestum esse, ex incessu, ex aspectu, ex habitu, ex voce. Hoc autem dixi, non ut ad ostentationem, sed ad videntium utilititatem nos ipsos disponamus.* (Hom. ad pop. Antioch.).

Quæ si vera sunt de quolibet Christiano, certe multo magis vera sunt de quolibet Religioso. Religiosis enim veluti supra candelabrum positis et per dignitatem sacerdotalem supra montem ponendis, propriissime in persona Apostolorum dictum est illud: **Vos estis lux mundi** (Matth. 5, 14.). **Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent patrem vestrum, qui in cœlis est** (Matth. 5, 16.).

Hinc nullam est invenire regulam alicujus Ordinis, nullas constitutiones monasticas, quæ gravitatem et modestiam religiosam non inculcarent summopere; hæc enim veræ conversionis et *principium* est et *criterium:* principium quidem, quia, ut ait D. Bonaventura: *Dum corpus per disciplinam stringit modestia, animus ad constantiam solidatur, et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cum per disciplinæ custodiam mali motus foras ruere non sinuntur;* criterium vero, quia teste eodem purpurato Doctore: *Desertio exterioris disciplinæ, quæ pro decore religionis et habilitatione profectus spiritualis statuta est, signum est neglectæ conscientiæ et*

interioris levitatis (in libr. de 6. alis Seraph. c. 4.). Ex visu cognoscitur vir, et ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis et risus dentium et ingressus hominis enuntiant de illo (Eccli. 19, 26, 27.).

Unde D. Bernardus veluti regulam statuit indubitatam: *Si videris monachum, de quo prius bene confidebas, ubicunque stat, ambulat, sedet, oculis incipientem vagari, caput erectum, aures portare suspensas, e motibus exterioribus hominis interiorem immutatum agnosce; vir quippe perversus annuit oculis, terit pede, digito loquitur, et ex insolenti corporis motu recens animæ morbus deprehenditur;* ac demum expresse asserit: *Sine modestia forma quidem conversionis est, non veritas, vacua virtute gerit speciem pietatis.*

Unde sequitur monachum præcipue Benedictinum, sine modestia esse sacrilegum transgressorem suæ professionis, in qua Deo solemniter promisit conversionem morum suorum; quin imo etiam effrenis esse suæ Regulæ contemptor agnoscitur, utpote quæ modestiam ac gravitatem religiosam graphice adeo describit et non minus energice præcipit cap. 7. grad. 9., 10., 11., 12. ac cap. 13. generaliter asserit Ss. Pater: *Regulam totam ideo scriptam esse ut eam observantes in monasteriis aliquatenus vel honestatem morum, aut initium conversationis nos demonstremus habere,* ne videlicet morum incomposita levitate servantes sæculo fidem mentiri Deo per tonsuram noscamur turpes sarabaitæ. Quodsi immodesta hominis exterioris conversatio internæ inordinationis criterium est minime dubium, plane Religiosi immodesti famæ suæ pessime consulunt, seque haud parum in oculis ipsius etiam sæculi prostituunt, hisce præcipue temporibus, quibus vitæ monasticæ osores levissimos quosvis Religiosorum nævos lyncea sagacitate detegunt et satyrica dicacitate exaggerant.

Imo quum de facto pessima argumentandi ratione vitia privatorum integris imputentur communitatibus, Reli-

giosi immodesti non jam seipsos tantum, sed et Monasterium ac Ordinem suum prostituunt, adeo ut de ipsis idem cum proportione dici quidem possit, quod de malis sacerdotibus olim scripsit D. Gregorius, M.: *Nullum puto ab aliis majus præjudicium, quam a sacerdotibus* (dicamus a Religiosis immodestis) *tolerat Deus* (status religiosus), *quando eos, quos ad aliorum correctionem* (ædificationem) *posuit, dare de se exempla pravitatis cernit; quando ipsi peccamus, qui compescere* (deflere) *peccata debemus, et qui locum sanctitatis accepimus, terrenis actibus* (vanis, scurrilibus et scandalosis sæcularium moribus) *implicamur* (Hom. 12. in Luc.). Nam nihil amabilius est verecundo adolescente teste D. Bernardo: *Quam pulchra enim hæc et quam splendida gemma verecundia morum in vita et vultu adolescentis? quam vera et minime dubia bonæ nuntia spei, bonæ indolis index, virga disciplinæ, expunctrix malorum et propugnatrix puritatis innatæ, specialis gloria conscientiæ et famæ custos, vitæ decus, virtutis sedes, virtutum primitiæ, naturæ laus et insigne totius honesti* (Serm. 86. sup. Cant.).

E contrario, asserente D. Bonaventura: *Religionis confusio est juvenis præsumtuosus et effrons* (In spec. p. I. c. 8).

Hinc, quia quilibet bonum famæ et honoris suæ communitatis, cujus membrum et pars existit, tueri debet, jam non consilium, sed præceptum est illud D. Pauli: **In omnibus te ipsum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum sanum, irreprehensibile: ut is, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis** (Tit. 2, 7.).

Nemo enim nobis nocebit, si boni æmulatores fuerimus, et vix alia ratione melius obturabimus calumniatorum nostrorum ora quam religiosa gravitate et modestia.

§ 3. Regulæ generales Modestiæ ac Gravitatis religiosæ.

Regulas generales et communes dicimus illas, quæ quibuscunque circumstantiis particularibus facile accommodari

possunt. Eas D. Bonaventura paucis hisce verbis conclusit:

Morum disciplina in Religiosis triplici colore sit decorata: sint maturi, sint humiles, sint benigni. Maturitas prohibet ne simus leves in incessu; proni et excussi in risu; verbosi et garuli in discursu; protervi, audaces et vagabundi in visu; nugivenduli, histriones ac mimi in communi consortio; incompositi, inquieti, sordidi ac inurbani in corporis et membrorum situ. Humilitas cervicem deprimit, oculos humi defigit, gestus omnes ad verecundiae et honestatis normam componit; amat simplicitatem in vestitu, prensat extremam vilitatem in victu et habitatione, locum quaerit ultimum, ostentationem in verbis et moribus horret, contempta tacet, honorata erubescit, refugit ministrari, cupit ministrare, omnibus obsequi et etiam in rebus vilissimis servire. Benignitas denique nos facit ad bona consilia tractabiles, ad aliorum beneplacitum, etiam cum proprio incommodo, flexibiles, communicativos nostri et nostrorum, jucundos et hilares in Domino, affabiles et sociales, fidos et secreti tenaces, aeque promptos in dandis et reddendis gratiis, omnia in meliorem partem interpretantes, omnes honore praevenientes, neminem contemnentes, nullum temere judicantes (De profect. rel. lib. II. c. 11.). *Et hac ratione*, ut ait idem Sanctus, *humilitas reddet conversationem nostram imitabilem, benignitas amabilem, maturitas venerabilem: maturitas temperabit benignitatem, ne degeneret in levitatem; benignitas moderabitur maturitatem, ne transeat in morositatem; ipsamque diriget humilitatem, ne aut adulationis aut abjectae affectionis incurrat suspicionem.*

§ 4. De Modestia ac Gravitate religiosa in specie.

Ne in materia nimis ampla justos compendii limites excedam, speciales modestiæ regulas ad quinque circumstantias particulares restringo, videlicet:

I. In conversatione cum aliis regulæ sequentes observandæ sunt:

1. Nunquam accedendum ad conversationem nisi præmissa bona intentione animi contra quosvis defectus per firmissima proposita obfirmatione, et materiæ pro utili et ædificatorio discursu præparatione;

2. sub conversatione animus per preces jaculatorias ad Deum elevetur, et sic practica et affectuosa Dei præsentis recordatione inepta ac carnalis lætitia, quæ omnis dissolutionis radix est primaria, præcaveatur;

3. nunquam ad conversationem accedamus facie tristi, caperata, melancholica aut tædiosa, sed experrecta ac hilari, ne quod ad aliorum exhilarationem conceditur, nostro vitio, in justum tædium convertatur;

4. hic vel maxime obtinet illud s. Regulæ: *Honore invicem praevenientes* (c. 63.); ita videlicet cum quovis conversando, ut reverentia, observantia et honor, quo illum in animo prosequimur, ex tota nostra agendi et loquendi ratione eluceat, tuizatione aut alia inurbanitate exclusa;

5. exclusa item quavis familiaritate, quæ communitatum præcipue religiosarum pestis est, ac amicitia privata, quæ nec Deum, nec animæ salutem pro objecto habens, in carne fundatur et in carnem desinit; erga omnes simus æquales i. e. urbani, humiles, benigni, affabiles, obsequiosi;

6. hinc absit omnis machiavellica, dolosa, subdola, astuta, vulpina ac simulata agendi et loquendi ratio; sed veritatem in corde et ore cum sale prudentiæ proferentes, columbinam sectemur simplicitatem;

7. maxima habeatur cura observandæ pacis ac mutuæ concordiæ, sine qua, teste D. Hieronymo, monasteria sunt vera tartara, ubi alter alteri est diabolus.

Hinc sæpius recolamus et quotidie practice observemus characteristicas veræ caritatis notas, quas D. Paulus recenset: Caritas patiens est, benigna est; caritas non æmulatur, non inflatur, non agit perperam, non est ambitiosa, nec

quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet; (I. Cor. 13, 4. et seqq.)

8. hac caritate instructi, quæcunque ab aliis aut dicuntur aut aguntur, simplici ac recta intentione accipiemus et in partem meliorem interpretabimur, de omnibus bene sentiendo, neminem judicando, nullum contemnendo.

9. hinc ulterius in conversatione juxta exemplum D. Pauli omnibus erimus omnia, nimirum quantum salva conscientia, salva s. Regula aliisque constitutionibus et obligationibus status nostri fieri potest, nos in omnibus accommodando omnibus, omnibus, etiam inferioribus cedendo, ac amore pacis judicium, voluntatem, commoditatem ac amorem proprium libenter abnegando, idque vel maxime, ubi cum discolis, superbis, contentiosis, sciolis et ultra crepidam sapientibus agendum est; cum talibus enim pacifice posse conversari virtutis est et perfectionis.

Hæc sunt onera a communitatibus inseparabilia, quæ tamen facilius portabimus, si cogitemus nec nobis deesse sphalmata, quæ ab aliis patienter portanda sunt. Proinde alte cordi nostro insculpamus illud: *Si vis portari, porta* (Imit. chr. l. II. c. 3.).

10. denique modestiæ memores ac studiosi corpus totum ad regulas urbanitatis et humilitatis componamus, a clamoribus, cachinnis, scurrilitate et petulantia nobis sollicite caveamus, præcipue si cum sæcularibus aut publice conversamur.

II. Tempore et occasione colloquii sequentes regulæ sunt observandæ:

1. Suppeditatur hæc a D. Bonaventura: *Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinate nec turbulenter inter loquendum membra moveat, nec oculorum nutibus, labiorum contractione vel altero non decenti alterationis modo*

vultus honestatem deformet, sed in eadem vultus constantia semper permanens severitatem benignam et constantem benignitatem praetendat (tom. VII. p. I. c. 20. Spec. disc.).

Nunquam igitur plus manibus quam ore loquendum est, ne contra civilitatis politicæ leges impingamus et nos latentis superbiæ ac morum levitatis reos faciamus;

2. non loquendum nisi de rebus seriis, utilibus aut necessariis, verba enim otiosa, scurrilia ac risum moventia damnat tum s. Regula (c. 6.) tum status nostri sanctimonia, cui ejusmodi histriones ac nugivendiculi haud parum præjudicant. Equidem ad se aliosque exhilarandos licet aliquando uti eutrapelia, sed cavendum ne quid nimis, curandum ut si quid ad animum recreandum dicimus, id sale evangelicæ sapientiæ sit conditum aut festiva intelligentia aut ratione. *Sales sint sine dente*, D. Basil. satyrice irridendo, mimice repræsentando, amarulenter pungendo; hinc

3. omnis locutio nostra sit considerata, matura ac parca, prout præscribit s. Reg. (c. 7. grad. 11.). *Sapiens enim*, ut ait D. Bonaventura, *quando loquendum, quando tacendum prudenter considerat, ac verba semper bis ad limam vocat priusquam ad linguam admittit, dum e contra stultus, quidquid juvenilis levitas aut praevalens passio dictat improvide effutit;*

4. a colloquiis nostris absit amphibologia, restrictio mentalis, duplicitas, simulatio, falsitas aut adulatio: ubique eluceant sancta sinceritas et candida simplicitas. Ante omnia opera, verbum verax præcedat nos (Eccli. 37, 20.);

5. absit pariter omnis detractio, calumnia, contumelia, irrisio, murmuratio, aculeata dictio et quidquid alium aut confundit aut offendit, et vel maxime caveamus, ne de absente aliquid dicamus, quod ipso præsente diceremus nunquam. Potius absentium famæ consulamus, eorum delicta aut tegendo aut certe excusando;

6. fugiamus vel levissimam umbram superbiæ, jactantiæ, ostentationis, ne et apud Deum amittamus meritum et

hominum incurramus despectum; potius de nobis et nostris alte sileamus;

7. pari humilitate declinemus omnem irreligiosam contentionem, clamorosam ac pertinacem disputationem, verbosam litigationem; opiniones nostras modeste, humiliter ac caritative proponamus, ne forsitan de lana caprina altercantes lædamus caritatem et disputatio nostra fiat mutua cavillatio. Sapientis est cedere, insipientis nolle acquiescere, mulieris obgannire; e contra: **Honor est homini, qui separat se a contentionibus** (Prov. 20, 3.);

8. sive cum magno sive cum parvo loquamur, semper in ore, prout docet D. Bonaventura, verba dulcedinem habeant, et omnem ad omnes mansuetudinem ostendamus;

Hinc sine impetuositate e latenti nonnisi indignatione et impatientia oriunda loquamur: quæsiti quiete, pacate ac serena semper fronte respondeamus sine ullo signo perturbatæ mentis, commotæ bilis, inordinatæ passionis, tædii aut aversionis;

9. vitemus cautissime omnem umbram rusticitatis et inurbanitatis, et eos quibuscum loquimur, pro suo quolibet statu ac dignitate congruo honore prosequamur;

10. nunquam denique in aliorum verba et discursus immodeste nos ingeramus, eos interrumpendo aut inepta ac insulsa sive narratiuncula, sive crisi, sive contradictione intercipiendo. Imo præsentibus senioribus, viris spectatis aut doctis usque ad interrogationem taceamus juxta præscriptum s. Reg. (c. 7. grad 9.).

III. In Refectione corporali sequentes observandi sunt canones modestiæ, quos omnes synoptice complectitur illa D. Pauli regula:

1. **Sobrie, pie et juste vivamus in hoc sæcula** (Tit. 2, 12.); *sobrie*, quoad quantitatem et qualitatem, quam utramque nunquam gulæ voluptas, sed sola vitam viresque ad servitium divinum conservandi necessitas mensuret;

pie, per meritoriam mortificationem ac bonam intentionem toties sub refectione renovandam quoties sese cibi potusque delectatio subdole insinuat;

juste, non solum cuilibet portionem suam relinquendo, sed sibi semper viliora seligendo ac in solatium pauperum hinc inde aliquid sibi subtrahendo;

2. nunquam accedamus ad refectionem corporalem, quin saltem transeundo salutemus augustissimum Altaris Sacramentum, ab hoc pane supersubstantiali efflagitando supernam benedictionem contra gulæ illecebras;

3. ante et post mensam in summo silentio, corpore ad omnes religiosæ modestiæ ac humilitatis leges composito in compunctione cordis conversemur in refectorio;

4. mensæ assideamus semper corpore nec nimis elato, nec nimis depresso, ex omni parte libero, cubitis aut brachiis mensæ non innitentes, nec pedes aut genua ad invicem imponentes, ac præcipue rigorosam oculorum ac oris custodiam observemus ita, ut nullius musitatio aut vox nisi solius legentis audiatur (s. Reg. c. 35.);

5. cibus capite detecto et inclinato in signum gratitudinis et reverentiæ debitæ inservientibus, in quibus Angelos vel ipsum Angelorum Dominum respicimus, accipiamus, nec in eos statim involemus, sed interposita repetitæ intentionis mora; nunquam utamur digitis, ubi cochleari, fuscinula aut cultro uti possumus; atque hæc ipsa instrumenta mensalia ad præcavendam proxime assidentium nauseam et observandam munditiem exteriorem, sedulo purgemus primitus quidem pane, tum vero mantili, nunquam tamen mappa;

6. caveamus ne nimis ardenter, avide et festinanter, sonore aut nimis diducto ore manducemus: tractim, tarde ac modeste comedendum est, et dum adhuc masticamus pro alio bolo manum extendere signum est voracitatis religiosum maxime dedecentis;

7. dum corpus reficimus animam pascamus lectione mensali, communione spirituali, repetita intentione ac precibus jaculatoriis;

8. si quis defectus vel in quantitate vel in qualitate præcipue si is rarius contingat, caveamus nobis a murmuratione, sed veluti operarii mali et inutiles omni vilitate et extremitate simus contenti, memores juratæ paupertatis ac tam necessariæ mortificationis;

9. vel maxime autem temperantiæ studeamus, ubi cum aut coram sæcularibus reficimur, nec aliorum seu exemplis seu principiis eo nos adduci patiamur, ut in nos quadret illud: **Sacerdotes et prophetæ** (i. e. confessarius et parochus) **nescierunt præ ebrietate, absorpti sunt a vino, erraverunt in ebrietate, nescierunt videntem, ignoraverunt judicium** (Is. 28, 7.); proh! quale hoc foret scandalum in oculis sæcularium.

IV. In Dormitorio sequentia sunt servanda regularis disciplinæ puncta:

1. In eodem observetur strictissimum silentium tum erga sæculares tum erga confratres, prouti expresse præscribit s. Reg. (c. 22.); contra quam legem, utpote pro conservanda disciplina regulari absolute necessariam, nullus dari potest validus superiorum consensus sive tacitus sive expressus, multo minus aliqua præscriptio aut consuetudo.

Quin imo taciturnitatis hujus violatio vix unquam a peccato veniali excusari potest, et si sit frequens, valde proterva, ac notabili tempore continuata, ob intervenientem virtualem s. Regulæ contemptum, ne a peccato quidem mortali immunis erit;

2. propter hujus taciturnitatis gravitatem æque ac caritatem fraternitatis, quæ alteri qualecunque incommodum causare perhorrescit, in dormitorio evitetur omnis strepitus in claudendis et aperiendis januis, in ascendendo et descen-

dendo per scalas, et juvenilis cursus, etiam tunc quum festinandum est, ne unquam scurrilitas inveniat fomitem;

3. in eodem æque ac quibuslibet claustri ambulacris cura habeatur maxima munditiei, ejuscemodi enim patulæ sordes jure suspectos reddunt superiores quidem negligentiæ, subditos vero incuriæ;

4. denique ubicumque nobis obviaverit superior aut senior illam ei reverentiam exhibeamus, quam præscribit s. Regula (c. 63.).

V. Denique in Cella sequentes præscribit leges disciplina regularis:

1. Cella sit munda et nullibi sputis vel aliis fæcibus maculata; in illa supellex, vestes, libri ordinate et concinne sint dispositi, lectus decenter compositus et tam cellæ janua quam cistæ et arculæ adposita clavi superiori pateant semper;

2. in cella etiam remotis arbitris degentes ob reverentiam præsentis Numinis decentissimum ac modestissimum semper observemus corporis situm;

3. in cella nihil omnino habeatur, nisi quod superior expresse dederit aut concesserit, nihilque quod vanitatem, superfluitatem aut sensibus blandientem commoditatem redoleat, utpote cum statu paupertatis et pœnitentiæ, quam profitemur, minime compatibile;

4. in lecto semper bene tecti, caste et verecunde compositi et saltem sacro Ordinis nostri scapulari induti jaceamus, et plus semper castitati quam commoditati tribuamus;

5. sine expressa superioris licentia nullus alterius cellam unquam ingrediatur, multo minus in cellis privata instituantur conventicula et omnium minime scandalosæ compotationes, quæ obedientiam, paupertatem, silentium disciplinamque regularem penitus evertunt, sæculares scandalizant, pacem et concordiam dissipant, et pretiosissimum tempus pessime dilapidant;

6. si quid ab alio petere necesse est, id fiat paucis verbis, submissa voce et aperta janua, præmissa salutatione: *Laudetur Jesus Christus* ac si superior est: *Benedicite.*

Hæ sunt regulæ quibus nota fieri debet modestia nostra omnibus hominibus, ut simus spectaculum jucundum Deo, gratum angelis, ædificatorium hominibus.

Nihil proinde quod in hac secunda Tyrocinii parte dictum est, utut vobis F. F. Tyrones, minimum videatur, protervo supercilio despicite, nihil laxa conscientia negligite.

Grandi obligationi tendendi ad religiosam perfectionem aliter satisfacere poteritis nunquam, nisi in operibus vestris quotidianis fueritis præcellentes. Tales eritis si omnia, quæ in hac parte edocti estis, peregeritis; has si negligitis, omnia agendo nihil agitis, quia Deus non tam pensat verba, quam adverbia, nec multa egisse, sed omnia bene fecisse sanctitatis compendium est.



PARS TERTIA.

CAPUT I.

De Statu Religioso.

§ 1. De Notione Status religiosi.

Status religiosus est status hominum ad perfectionem acquirendam perpetuo tendentium et quidem per tria vota *paupertatis*, *castitatis* et *obedientiæ*, emissa secundum regulam quandam determinatam in religione approbata ab Ecclesia.

Dicitur:

1. *Status*, i. e. stabilis quædam vitæ ratio fundata in votis solemnibus et perpetuo obligantibus;
2. *hominum* utique fidelium; etenim: **Sine fide impossibile est placere Deo** (Hebr. 11, 6.); hinc infidelium irrita esset professio;
3. *ad perfectionem acquirendam tendentium*, quæ est finis principalis status religiosi; status religiosus nondum est status perfectionis acquisitæ, qualis est status episcopalis, sed status acquirendæ perfectionis;
4. *perpetuo tendentium: In eo enim instanti*, ait D. Bernardus, *quo Religiosus non progreditur in via perfectionis, regreditur;*
5. *per tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ;* vel unico ex his votis deficiente status religiosus non habetur.

Apte hæc tria vota nuncupantur, nam per hæc tria præcipua impedimenta perfectionis removentur; **Omne quod est in mundo concupiscentia carnis est et concupiscentia oculorum et superbia vitæ** (I. Joh. 2, 16).

Per concupiscentiam oculorum communiter Patres intelligunt cupiditatem inordinatam rerum temporalium; certe quanta hæc inferat obstacula et salutis pericula patet ex Matth.: **Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cœlorum . . . facilius est camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in regnum cœlorum** (19, 23. 24.); **Væ vobis divitibus, quia habetis consolationem vestram** (Luc. 6, 24.).

Ex concupiscentia carnis quanta pericula salutis! *Magis per luxuriam humanum genus subditur diabolo, quam per cetera vitia.* (S. Isidorus lib. 2. sent. c. 39.). *Hoc peccatum luxuriæ lætificat infernum et quasi totum mundum trahit ad supplicium.* (S. Bernardinus Serm. 4. 21. de lux.). *Demptis parvulis ex adultis propter carnis vitium pauci salvantur.* (S. Remigius in epist. ad Rom. relata a S. Thom. de Villanova).

Per superbiam vitæ intelligitur voluntas propria, de qua ait D. Bernardus: *Cesset voluntas propria et infernus non erit.* (Serm. 3. in Pasch.).

Iam vero concupiscentiæ oculorum opponitur paupertas; concupiscentiæ carnis, castitas; superbiæ vitæ, humilis subjectio et obedientia; ideoque vota religiosa ex sua natura ad perfectionem conducunt. Disputabatur olim num vota hæc substantialia status religiosi solemnia esse debeant, an sufficiant vota simplicia, dummodo ex parte voventis veram importent immobilitatem, ut sponte sua non possint recedere a promissione sua, etiamsi ex parte religionis acceptantis omnimodo talis immobilitas non adsit,

quæ probrie est differentia inter vota simplicia et solemnia.

Talia vota simplicia sunt prima, quæ emittuntur a nostris fratribus clericis et secunda fratrum laicorum;

6. *secundum regulam quamdam determinatam*, hinc nomen *regulares;* Religiosi constituunt integram aliquam communitatem, quæ stare non potest sine regula, sicut neque respublica sine legibus. Hinc Trid. præcipit, ut omnes regulares ad regulam quam professi sunt, præscriptam vitam instituant. (Sess. 25, c. 1. De Reg. et Mon.).

Ideo S. Benedictus c. 1. Sarabaitas reprehendit, qui nulla regula approbati mentiri Deo per tonsuram noscuntur;

7. *in religione approbata ab Ecclesia.* In Concil. Lateran. Innocentius III. potestatem hanc Sedi Apostolicæ reservavit, licet antiquitus fuerit sufficiens approbatio mediata et tacita, prout patet in religiosis ordinibus antiquioribus S. Augustini, S. Benedicti etc.

Corollarium:

Religosi nomen sine dubio a religione derivatur: sunt nempe Religiosi vi professionis suæ perpetuo obligati ad opera religionis exercenda, ad exactam votorum observantiam, laudes divinas die noctuque cantandas aliaque pia opera et juge virutum exercitium. Hinc sequitur, quod Religiosi adhuc operibus servantes sæculo fidem mentiri Deo (et hominibus) per tonsuram (et nomen) noscuntur. (S. Reg. c. 1.).

§ 2. De Dignitate et Excellentia Status religiosi.

Statui religioso et quidem soli proprium est, sua vivendi ratione imitari vitam non solum Apostolorum sed et ipsius Christi Domini. Hinc D. Hieronymus ait: *Christum et*

Apostolos primos fuisse religiosos. (Ep. contra Iovin.). Item D. Chrysostomus (P. 1. c. 3. contra monast. vit. vituperat.)

Porro finis status religiosi est præstantissimus, media hunc finem assequendi sunt efficacissima; finis enim est Deo perfecte servire, eum perfecte amare, continuo laudare; media sunt vota religiosa.

Beatorum conditionem æmulatur vita religiosa; quemadmodum illi divinis laudibus et obsequiis semper et toti sunt intenti, ita quantum fert fragilitas humana etiam Religiosi ferventes. *In rebus humanis*, inquit S. Laurentius Just., *et in hac peregrinatione nihil tam efficaciter gerit in se cælestis patriæ imaginem, quam monastica conversatio et congregatio divino cultui dicata.* (De monte perf. c. 6.) *Cellæ et cœli habitatio cognata sunt, quia sicut cœlum et cella ad invicem habent cognationem nominis sic et pietatis.* (D. Bernardus ad fratres de monte Dei). Idem mellifluus Doctor (in hom. de quærent. bon. marg. c. 7.): *Religionem aliquem approbatum statum vocat, in quo homo vivit purius, cadit rarius, surgit velocius, incedit cautius, irroratur frequentius, quiescit securius, purgatur citius, moritur confidentius, remuneratur copiosius.* Sententia fecundissima et consideratione dignissima.

Corollaria:

1. Deo gratias debemus maximas, quod nos ad statum religiosum vocavit: Quis, quem, ad quid vocavit?
2. gratitudinem nostram erga Deum melius demonstrare non possumus, quam sancte i. e. secundum statum nostrum religiosum vivendo;
3. quam indigne de statu suo Religiosi illi sentiunt, qui jugum religionis crucem putant intollerabilem; vivunt ideo male contenti et evadunt tandem apostatæ;
4. status religiosi dignitatem et emolumenta sæpe perpendamus, ut amore erga eum accendamur. Hunc amorem etiam opere ostendere juvat:

α) Vestem religiosam reverenter osculari, quoties induitur vel exuitur;

β) ex horis canonicis unam designare ad agendas Deo gratias pro beneficiis vocationis, item ad impetrandum donum perseverantiæ;

γ) vota religiosa nuncupata sæpius renovare;

δ) exactissime vivere secundum observantias regulares, utut exiguæ nobis videntur; nam a cura minimorum plerumque maxima status religiosi incrementa dependent.

§ 3. De Impedimentis Status religiosi.

Impedimenta hæc alia sunt dirimentia, quæ professionem invalidam reddunt, alia impedientia, quæ eam illicitam et graviter peccaminosam efficiunt. Impedimenta porro alia sunt juris divini, alia juris ecclesiastici, alia juris privati ipsius Ordinis.

In professione religiosa contractus quidam intercedit inter Religiosum et religionem cum mutua obligatione; quemadmodum enim Religiosus vi professionis se omnino tradit religioni, ita vicissim religio se obligat ad novum Religiosum inposterum alendum et sustentandum. Jam vero sicut in contractibus civilibus quibuslibet privatis licet certas apponere conditiones honestas, a quibus dependeat valor contractus, ita integro Ordini licet impedimenta statuere, quibus stantibus religio non intendit talem acceptare in membrum congregationis; ideoque poterit irritare professionem, ubi noverit se fuisse deceptam, vel per subdolam et culpabilem vel etiam inculpabilem occultationem talis impedimenti.

Impedimenta dirimentia Juris Divini naturalis sunt:

1. Defectus perpetuus usus rationis. Si quis ad tempus hoc defectu laboraret, præcipue si longiora haberet rectæ rationis intervalla, valide profiteretur, dummodo tem-

pore professionis et per annum probationis eumque continuum sui compos fuerit, licet minime congruum sit, hujusmodi homines ad professionem admittere, sicut etiam nimium melancholicos, hypochondriacos, furiosos et eos, qui modico haustu vini statim usu rationis privantur, utpote qui homines, experientia teste, bono communitatis plurimum obsint.

2. impotentia ad servanda regularia statuta saltem essentialia ac præcipua accidentalia. Hoc impedimento laborant senes nimis decrepiti vel adeo infirmi, ut spes nulla affulgeat sanitatis.

3. conditio, si quis nempe non est sui juris, sed titulo quocumque oneroso justitiæ est obstrictus alteri. Ingressus enim in religionem, et multo magis professio, debet essensialiter esse de bono meliori, qualis non esset, si cum damno tertii esset conjuncta. Porro professio est libera sui oblatio; jam vero nemo potest libere se offerre, qui de se libere disponere non potest.

Corollaria:

1. Conjuges, consummato matrimonio, sine consensu alterius religionem neque ingredi neque profiteri possunt. Matrimonio rato, sed non consummato, bimestre conceditur ad deliberandum, intra quod tempus unus conjugum religionem ingredi et profiteri potest, altero non consentiente, imo invito;

2. qui defloravit virginem cum promissione matrimonii, licet animo ficto sit facta, tenetur eam ducere, saltem si paris sit conditionis et alia satisfactione nolit esse contenta.

Aliud dicendum est de sponsalibus, quibus tacita conditio adjecta præsumitur: *nisi statum religiosum amplexus fuero;* pariter prohibentur a susceptione habitus

3. ære alieno gravati in sæculo permanentes per brevius tempus, puta infra biennium vel triennium,

obligationi suæ satisfacere possint. Sin autem nec actu habeant, nec probabiliter in futuro sint habituri, unde solvere debita possint, tenentur facere quod possunt; ergo cedere bona sua creditoribus, et sic licite religionem ingredientur, eximente eos impossibilitate ad ulteriora. (Cfr. D. Thom. 2. 2. q. 189 art. 6 ad 3.) Ex Constitutione tamen Sixti V. non possunt licite admitti *ingenti* ære alieno gravati;

4. prohibentur ii quibus obligatio incumbit sublevandi egestatem parentum. Est communis sententia Doctorum non esse licitum filio patrem aut matrem in extrema aut etiam in gravi necessitate relinquere, ut monasterium ingrediatur, imo docent teneri filium, etiam professione facta, monasterium relinquere, sive beneficium sæcularizationis petere, si ejus parentes in extrema necessitate inveniuntur, ac desit aliud medium illis subveniendi. Similiter dicendum est si fratres aut sorores aut filii in extrema necessitate versentur, nec alium quemquam habent, qui eisdem succurrere ex *justitia* teneatur.

   Seclusa tali inopia parentum filii post annos pubertatis, vel invitis parentibus impediri non possunt, quominus religionem amplectantur;

5. qui voto ingrediendi ordinem severiorem obligatus est; ideo in mitiore invalide profiteretur, quia professio esset in præjudicium voti præcedentis, ideoque non esset de bono meliori.

Impedimenta dirimentia juris Ecclesiastici sunt:

1. Episcopatus; episcopus scilicet non potest ingredi religionem sine consensu summi Pontificis;

2. defectus ætatis; nemo censetur habilis ad vota simplicia emmittenda ut Clericus, nisi annum ætatis suæ decimum sextum; neque ut Conversus ad vota perpetua, nisi an-

num vigesimum primum expleverit (Ex priv. spec. Cong. Am. Cass.);

3. defectus libertatis sufficientis; tollitur autem hæc libertas vi, dolo vel metu gravi injuste incusso. Novitiatus tamen hoc modo absolutus validus est. Valide ergo talis Novitius poterit profiteri, si independenter a metu vel dolo sponte sua admissionem ad professionem petat.

Ut metus sit impedimentum dirimens requiritur:

1. Ut sit gravis, cadens in virum constantem;
2. injuste ab extrinseco incussus;
3. incussus in hunc finem, ut alter ingrediatur religionem; secus metus gravis esset occasio professionis, non vero causa necessaria impellens ad eam. Etiam metus reverentialis, si gravis sit et conjunctus cum verbis vel signis grave malum comminantibus, irritat professionem, non vero simplex metus reverentialis, ne facilior aperiatur via tepidis Religiosis et male contentis Monialibus reclamandi contra professionem, cum maximo propriæ conscientiæ detrimento.

Religiosus ex metu gravi vel cum alio impedimento dirimente professus intra quinquennium a die professionis causas nullitatis coram superiore et Ordinario afferre potest, quo tamen tempore elapso, quin reclamaverit, licet potuisset, non audietur amplius. Tali Religioso nihil restat, nisi ut liberum præstet consensum in professionem religiosam, vel dispensationem obtineat, quod etiam ab illo Religioso faciendum esset, qui voluntarie professionem suam fecisset nullam ob defectum consensus, quem ipse tamen pro foro externo probare non posset; in utroque enim casu pro foro externo professio præsumitur valida. (Trid. sess. 25. cap. 19, De Regul. et Monial.)

Impedimenta impedientia, imo ex parte dirimentia, in Congregatione nostra ex tacito saltem consensu et consuetudine hactenus recepta sunt:

1. Sponsalia carnaliter consummata;
2. ecclesiastica censura;
3. origo ex thoro illegitimo;
4. crimen publicum et infamans;
5. defectus corporis notabilis, vel infirmitas gravis;
6. omne id, per quod monasterio grave damnum evenire potest.

Admittuntur ergo Novitii ad professionem tacita hac conditione, si nullum intercedat hujusmodi impedimentum. Habent ergo Novitii gravem obligationem hujusmodi impedimentum mature manifestandi, ne monasterium damnum capiat et professio nullitatis periculo exponatur. In dubio standum erit judicio Religionis, quæ, si velit esse contenta membro laboranti defectu aliquo, dummodo non sit impedimentum substantiale et irritans ex jure communi, quod religio mutare non potest, valida erit professio.

Ut revalidetur professio, quæ ab initio ex aliquo defectu fuit nulla, requiritur ut qui novum præstet consensum, sciat, professionem primam fuisse invalidam, vel certe ita sit animo comparatus, ut professionem suam velit esse validam, etiamsi fortasse ob aliquam causam ab initio non fuisset valida.

§ 4. De Intentione amplectentibus Statum religiosum necessaria vel perutili.

Duplicem finem Religiosi distinguere oportet, alterum principalem, qui est Deo in hac vita perfecte servire et in altera vita ad beatificam Dei visionem pervenire, alterum minus principalem, qui varius esse potest:

1. Ut Religiosus pœnitentiam agat et pro peccatis præteritis congrue satisfaciat; si enim peccata eleemosynis

redimuntur (Dan. 4, 24.) quanto magis, si quis statum religiosum amplectens omnibus renuntiat;

2. ut scandala, quæ male vivendo præbuit, tollat et reparet;
3. ut non solum perfectioni suæ sed et aliorum hominum saluti aliis conjunctus certius et efficacius prospicere possit.

Corollaria:

Hinc peccant contra religionem et justitiam,

1. qui ex respectu et inordinato amore parentum, consanguineorum, ex desiderio vitam commodam degendi; ex solicitudine circa victum et vestitum, ex ambitione officia honorifica, dignitates etc. adipiscendi religionem ingrediuntur; agunt enim contra finem status religiosi et contra intentionem fundatorum;
2. si Novitius ex nullo fine bono vel ex motivis inordinatis statum religiosum amplexus est;
3. Novitii, qui sine ulla spiritus renovatione circa id unum sunt solliciti, ut exterius Novitiatum peragant, sicque correctiones sui superioris effugiant, et ad professionem admittantur, in re gravissima Ordinem et superiorem decipiunt, et aliquando sibi et aliis erunt onus intolerabile.

CAPUT II.

De Perfectione religiosa.

§ 1. De Essentia Perfectionis religiosæ.

Perfectio christiana in vera Dei caritate est constituenda:

Super omnia autem hæc, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis. (Col. 3, 14.) Finis autem præcepti est caritas (I. Tim. 1, 5.); sed finis caritatis est perfectio; ergo perfectio in caritate consistit. Plenitudo legis est dilectio. (Rom. 13, 10.) Hinc D. Thomas: *Secundum caritatem specialiter attenditur perfectio christianæ vitæ.* (2. 2. qu. 184. art. 1. in corp.) Ita sentiunt communiter Ss. Patres et vitæ spiritualis magistri. Dixi perfectionem in caritate consistere, utique habituali sed non illa sola quæ per modum habitus per Spiritum Sanctum in cordibus nostris diffunditur et parvulis etiam in Baptismo infunditur, quin ex eo perfecti denominentur; sed perfectio potius consistit in incremento illius habitus caritatis infusæ, quod per repetitos actus caritatis vel elicitos vel imperatos successive comparatur et voluntatem inclinat et roborat ad similes actus per gratiam actualem producendos. Ab hac perfectione communi, perfectio religiosa in hoc tantum differt, quod ad hujusmodi augmentum caritatis infusa acquirendum, media, quæ statui religioso sunt propria, adhibentur.

Corollaria:

1. perfectio religiosa nequaquam in altis illuminationibus aut raptibus nec in affectuum suavitate vel solatiis spiritualibus consistit; neque hi affectus sunt semper effectus inhabitantis alicujus solidæ caritatis, sed potius sensibilis teneritudinis ac suavitatis, quam amor pro-

prius sæpe affectat, ut sibi satisfaciat, quod tunc certe accidit quum subtractis ejusmodi solatiis in exercitiis spiritualibus et bonis operibus negligentes evadimus. Contra religiosa perfectio consistere potest cum habituali ariditate ac desolatione (ab acedia bene distinguenda) ut Sanctorum probant exempla, quod bene notent homines pusillanimes et scrupulosi. Verus amator præcipue ex operibus propriæ voluntati contrariis dignoscitur;

2. perfectio religiosa non consistit in castigatione corporis, abnegatione sui ipsius et austeritate vitæ, nec in desiderio multa sustinendi adversa pro Deo, licet ordinarie sint effectus et signa caritatis et perfectionis; e contra nullam vel tenuissimam caritatem se habere probant illi delicatuli, qui amore Dei nihil subire volunt difficultatis et minimam fugiunt sui abnegationem;
3. perfectio religiosa denique non consistit in multis et prolixis precibus et exercitiis piis, licet sint media ad acquirendam perfectionem aptissima et omnino necessaria. Quodsi cum judicii et voluntatis pertinacia conjuncta sint et aliis tum officii tum obedientiæ operibus præferantur, perfectionem impediunt plurimum et inter opera religionis spuriæ sunt ableganda. **Melior est obedientia quam victimæ!** (I. Reg. 15, 22.)

§ 2. De Natura Caritatis, in qua consistit Perfectio religiosa.

Caritas duplici sensu accipi potest, intensive et extensive aut, ut alii dicunt, intrinsece et extrinsece. Per caritatem intensive perfectam intelligitur caritas fervida, quæ quo plures gradus fervoris habet (veluti aquæ calor) eo erit intensive perfectior; hæc caritas efficit, ut quælibet opera virtutis *facile*, *prompte* ac *delectabiliter* faciamus. Caritas extensive perfecta denominatur ab adminiculo virtutum, quas habet concomitantes, quæ quo plures et excellentiores fue-

rint eo extrinsece perfectior caritas supponitur. Caritas in quocunque gradu minimo vel intensa vel extensa est donum Dei supernaturale. Hæc tamen caritas, utpote quæ cum magna in bonis operibus exercendis difficultate multis imperfectionibus et habitibus pravis conjuncta esse possit, hominem non denominat vere perfectum. Perfectio religiosa non requirit caritatem intensive perfectam, sed sufficit ad illam caritas appretiative et aliquo modo extensive perfecta. **Quis ergo nos seperabit a caritate Christi? tribulatio, an angustia, an fames .... Certus sum, quia neque mors, neque vita .... potest nos separare a caritate Dei!** (Rom. 8, 35.) En caritatem appreciative perfectam! et **caritas patiens est, benigna est, caritas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur** etc. (I. Cor. 13, 4.) En caritatem extensive perfectam!

Corollaria:

1. Ad perfectam caritatem religiosam per gradus ascenditur; hinc alia est caritas incipientium, quæ movet ad extirpanda peccata per pœnitentiam et eliminanda vitia per mortificationis exercitium; alia est caritas proficientium, quæ sollicitum reddit de virtutibus implantandis; alia caritas perfectorum, quæ excitat ad Deum summe amandum eique adhærendum continuo per actus caritatis tum imperatos tum elicitos;
2. tepiditas habitualis non est compatibilis cum perfectione religiosa et cum fine status religiosi, ideoque graviter est peccaminosa;
3. longe absunt a perfectione, qui peccata quidem mortalia evitant, de venialibus vero parum sunt solliciti et tentationibus negligenter resistunt.

CAPUT III.

De gravi Obligatione Religiosorum tendendi ad Perfectionem.

§ 1. Num Religiosi debeant esse actu perfecti.

Consentiunt ascetæ Religiosos non esse obligatos, ut actu sint perfecti. D. Thomas expresse dicit: *Ille, qui statum religionis assumit, non tenetur habere perfectam caritatem, sed tenetur ad hoc tendere et operam dare, ut habeat caritatem perfectam* (2, 2, qu. 186. art. 2. in corp.). Et merito; nam status religiosus est schola perfectionis: *Constituenda ergo est a nobis dominici schola servitii* (s. Regula in Prolog.); sicut ergo qui scholam ingreditur philosophiæ non debet actu possidere scientiam philosophiæ, sed ei operam dare, ita et in casu nostro. De hoc conatu perfectionis acquirendæ Ss. Patres loqui putandum est, cum supponere videntur Religiosum actu debere esse perfectum. Ita enim scribit D. Bernardus: *Indefessum proficiendi studium et jugis conatus ad perfectionem perfectio reputatur.* D. August. dicit perfectum illum, qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit.

Corollaria:

1. Aliud est, esse in statu perfectionis, aliud actu esse perfectum; primum cuivis Religioso convenit, nam nihil aliud est quam talem elegisse vivendi rationem seu talem statum, cui annexa est obligatio perpetuo ad perfectionem tendendi per evangelica consilia; alterum vero supponit habere aliquam actu caritatem appreciative et extensive perfectam;
2. pussilanimes et scrupulosi non habent quod de obligatione hac anxii sint.

§ 2. Num Religiosi sub peccato gravi ad Perfectionem religiosam tendere obligati sunt?

In genere affirmandum videtur, ut elucet:

1. Ex auctoritate Ss. Patrum. D. Hieronymus: *Monachum in via sua perfectum esse non posse; perfectum autem esse nolle delinquere est.* (Epist. ad Heliodor.) (Verbum *delinquere* apud Patres peccatum grave significat.) D. Cæsarius: *Venire quidem ad eremum* (seu ad statum religiosum) *summa perfectio est, non perfecte in eremo vivere summa damnatio est* (hom. 29.);
2. ex communi sententia Theologorum, quos recenset Sanchez l. 6. decalog.;
3. ex ratione: Perfectio est finis status religiosi; sed quisque obligatur tendere ad finem status sui assequendum, hæc enim est summa officiorum sui status. Porro: vota religiosa servare est tendere ad perfectionem; hinc Christus: **Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes** etc. (Matth. 19, 21.) sed ad servanda vota Religiosus graviter obligatur, ergo etiam ad perfectionem acquirendam. *Sub professione monastica scandere perfectionis excelsa promisimus.* (D. Bernard.) *Tu perfectum te fore pollicitus es; Dominum fefellisti, si perfectus non es!* (D. Hieron. ad Heliod.)

Corollaria:

1. Tendentia perfectionis acquirendæ debet esse *seria* et *efficax*, ideoque omnino rejicienda sunt laxa quorundam dictamina, qui sibi aliisque persuadere videntur, quod sterilis quædam intentio ac animus otiosus tendendi ad perfectionem sufficiat, ita, ut tamdiu Religiosum suæ conscientiæ satisfacere putent, quamdiu retineat animum tendendi ad perfectionem, etsi nunquam vel certe perraro tantum manus operi admoveat;
2. ad excitandum in nobis fervorem spiritus valde conducit quotidiana hujus gravis obligationis consideratio vel

illius D. Bernardi effati recordatio: *Bernarde, ad quid venisti?*

3. gravis porro datur obligatio cognoscendi non solum finem status religiosi, sed etiam media ad hunc consequendum necessaria vel opportuna. Ideoque Novitii doctrinam asceticam bene addiscant et practice exerceant, secus ignorantia utpote culpabilis eos, votis aliquando nuncupatis, minime excusabit.

§ 3. In quo consistat gravis Obligatio tendendi ad Perfectionem.

Obligatio ista in hoc consistit, ut Religiosus continuo efficacia et opportuna seu professioni seu regulæ suæ conformia media adhibeat ad finem status religiosi consequendum. Ideoque obligatio tendendi ad perfectionem non est proprie distincta ab obligatione servandi vota et observantias regulares. Ita dicunt plerique Theologi contra paucos. D. Thomas: *Status religiosus est exercitium ad perfectionem perveniendi, ad quam aliqui pervenire nituntur diversis exercitiis* (2, 2. q. art. 2, 186). In fine asserit Religiosum non teneri ad omnia, quibus pervenitur ad perfectionem, *sed ad illa, quæ determinate sunt taxata secundum regulam, quam professus est.* Christiani sæculares obligantur ad perfectionem statui suo convenientem; omnibus enim dictum est: **Estote ergo vos perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est** (Matth. 5, 48.); sed sæculares huic obligationi satisfaciunt servando præcepta Dei; ergo a pari Religiosus satisfacit præcepto tendendi ad perfectionem servando vota et regulam; secus Religiosus votum violans duplex peccatum committeret, contra votum nempe et contra perfectionem, quod nemo dixerit.

Corollaria:

1. Profectus noster et perfectio in eo consistit, ut opera nostra quotidiana et exercitia spiritualia bene perfecteque peragamus. Hæc est differentia inter bonum et per-

fectum Religiosum et inter tepidum, non quod ille plura vel alia agat, quam hic, sed quod perfectius opera sua peragat;

2. Religiosus non tenetur ad opera supererogatoria, attamen bonus Religiosus non est contentus operibus stricte præceptis, sed ad instar boni filii Deo placere studet operibus extraordinariis juxta mensuram caritatis magis vel minus intensæ, quæ nequit constringi inter limites strictæ obligationis;

3. Religiosus a peccato gravi excusari non potest, qui, etsi servet vota substantialia, de observationibus tamen regulæ statutorumque parum est sollicitus, eaque passim transgreditur; præterquam enim quod hic ipse modus agendi ab interpretativo saltem contemptu regulæ ac statutorum excusari non possit, insuper media a s. Regula ad obtinendam perfectionem præscripta non adhibet, sicque animo carere videtur tendendi serio et efficaciter ad finem vocationis suæ. Insuper talis transgrediendo passim regulam proximo se exponit periculo violandi vota substantialia. Nec obstat, quod ex communi sententia s. Regula non obligat sub gravi peccato; nam licet id verum sit de singulis statutis regularibus, nisi transgressio fiat ex contemptu vel concernat vota substantialia aut præcepta gravia naturalia, id tamen non ad communem et habitualem transgressionem s. Regulæ extendi potest;

4. gravis hæc obligatio tendendi ad perfectionem utpote essentialis status religiosi, urget quovis tempore et loco, in quocunque officio vel dignitate. Imo Religiosi ad officia publica deputati multo magis obligantur ad fervens studium perfectionis, utpote qui sæpe cum hominibus sæcularibus diversi sexus et conditionis conversari debeant, variis implicati sint negotiis etiam sæcularibus, multis distractionibus et periculis expositi; quare magis

in spiritu debent esse solidati et perfecti. Ideo Ludov. de Ponte suadet, ut nunquam ad curam animarum assumantur, nisi qui perfectionem actu sunt assecuti vel certe eidem sunt proxime et in sanctitate, quam alios docere debent, quasi perfecti (l. 2, de christ. homin. perfect.);

5. graviter peccat Religiosus ille, qui pessimo suo exemplo alios inducit ad vitam pravam vel ad regulæ et disciplinaris observantiæ relaxationem, e. g. ut passim locis et temporibus prohibitis frangatur silentium, conventicula instituantur cum confratribus vel sæcularibus; item qui confratres excitat, ut superioribus resistant, murmurationes adjuvet, ordinationes quascunque obvias superioris negligat, qui consiliis vel factis discordias seminat;

6. peccata Religiosorum multis de causis longe sunt graviora, quam pcccata sæcularium, quia plures habent obligationes, sed plures etiam gratias et media perfectionis plura. Hinc D. Augustinus: *Ex quo Deo servire cœpi, quemadmodum difficile sum expertus meliores quam qui in claustris profecerunt, ita non sum expertus pejores quam qui in monasteriis ceciderunt* (epist. ad plebem Hipp.);

7. item graviter peccat, qui media perfectionis ut meditationem, examina, lectionem spiritualem, opera obedientiæ aliasque functiones in ordine ad obtinendam perfectionem a s. Regula præscriptas notabili tempore vel omnino negligit, vel sine ullo fervore ex mera consuetudine vel respectu humano ideoque sine ullo fructu peragit; nam cum hac negligentia, tendentia ad perfectionem consistere non potest;

8. ut vero superfluis et scrupolosis anxietatibus via præcludatur, notandum Religiosum non teneri, ut continuo et quotidie perfectiora opera suscipiat, sed sufficit ut

exercitia sua et opera quotidiana præscripta recte perficiat; nam hoc ipso quotidie magis in nobis confirmatur caritas;

9. si non statim et continuo incrementum perfectionis sentimus, non est quod timeamus; sæpe enim Deus occultat profectum nostrum, imo majoribus nos probat tentationibus, ut humiles nos reddat et ad majores vires exercendas nos excitet. Quodsi vero notabili tempore nullum perfectionis incrementum ex ordinariis nostris exercitiis experimur, argumentum est satis probabile, culpam nostram esse; facienti enim quod est in se Deus non denegat gratiam. In hoc casu proinde radicem mali investigare debemus;

10. non habent quod de peccato mortali sibi timeant Religiosi illi, qui ex fragilitate humana hinc inde regulam aliquam violant, per aliquod tempus in exercitiis spiritualibus et fervore proficiendi tepescunt, sed timeant vere et habitualiter tepidi religiosi.

PARS QUARTA.

De triplici Via seu de Mediis perveniendi ad Finem Status religiosi.

Asceticæ vitæ magistri ex D. Thoma triplicem viam perfectionis statuunt, nempe *purgativam* seu incipientium, *illuminativam* seu proficientium et *unitivam* seu perfectorum.

DISSERTATIO I.

De Via purgativa.

In via purgativa removentur obstacula quæ cum firma et stabili caritate consistere non possunt. Hæc obstacula sunt:

1. Peccata et quidem mortalia, quæ caritatis substantiæ cujuscumque gradus omnino opponuntur et hominem penitus a Deo, fine ejus ultimo, avertunt; peccata vero venialia, quæ in imminutione fervoris, intensionis et extensionis caritatis consistunt, caritati firmæ ac stabili opponuntur;

2. vitia, seu pravi habitus, cum hominem ad peccandum propensum reddant, cum caritate firma et stabili, quæ facilitatem et promptitudinem importat, consistere non possunt. Duplici huic malo duplex opponitur remedium; peccatis vera pœnitentia, vitiis continuum mortificationis exercitium.

CAPUT I.

De vera Pœnitentia ad exstirpanda peccata necessaria.

§ 1. De Notione veræ Pœnitentiæ.

Non agimus hic de pœnitentiæ sacramento, de quo supra, sed de virtute, quæ sacramenti pœnitentiæ pars est materialis potissima.

Pœnitentia est virtus moralis infusa seu supernaturalis, inclinans peccatorem ad dolorem et detestationem peccati proprii, quatenus est offensa Dei cum efficaci emendationis ac satisfactionis proposito. Igitur ad veram pœnitentiam requiritur:

1. *Dolor* et *detestatio peccati proprii;* non sufficit ut Protestantes ex Græco *μετανοία* inferunt, simplex resipiscentia. Patet hoc, ut etymologiam vocabuli *Pœnitentiæ* omittam, ex compluribus S. Scripturæ locis, ubi pœnitentia cum voluntaria quadam animi afflictione et dolore conjungitur, e. g.: **Cum quæsieris ibi Dominum Deum tuum, invenies eum: si tamen toto corde quæsieris, et tota tribulatione animæ tuæ** (Deut. 4, 29.). D. Paulus (II. Cor. 7, 10.) pœtentiam vocat tristitiam secundum Deum; adde exemplum Ninivitarum etc. (Trid. Sess. 14. cap. 4.) D. Gregorius M.: *Pœnitentiam agere, est perpetrata mala plangere et plangenda non perpetrare,*

Accedit, quod nemo potest vere pœnitentiam agere, quin recogitet se Deum per peccatum mortale amisisse et inferni pœnis obnoxium esse, vel si venialiter peccavit, Deum offendisse et pœnas temporales gravissimas meruisse, et sic animi dolore et amaritudine afficiatur. Certum quoque est, neminem de peccato serio posse dolere, quin implicite saltem sancto quodam odio in illud peccatum feratur;

2. dolor et detestatio peccati quatenus est *offensa Dei*, non enim quilibet dolor sufficit ad veram pœnitentiam, v. g.: dolor ob turpitudinem naturalem peccati, pœnas temporales, sed debet respectus haberi ad Deum, seu initium aliquod dilectionis Dei saltem implicite in dolore illo includi;

3. *serium* et *efficax emendationis propositum;* S. Scriptura fere semper utrumque conjungit, odium vitæ veteris et novæ propositum, e. g.: Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est et custodierit omnia præcepta mea . . . ., omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor (Ezech. 18, 21.).

   Porro per se patet, aliquem delicti pœnitere non posse, quin habeat animum serium illud in posterum emendandi, i. e. media necessaria adhibendi, ne in peccatum rursus incidat;

4. *satisfactionis propositum* conjunctum dolori; David, licet ex Nathan audisset propheta: Dominus quoque transtulit peccatum tuum (II. Reg. 12, 13.), tamen peccata sua flevit jugiter, jejunavit etc. Ita docent Ss. Patres. D. Cyprianus: *Putasne Deum cito posse placari? putasne facile eum misereri tui? orare oportet, impensius justis operibus incumbere, ut crimen et culpa diluatur* (lib. de laps.).

   Pœnitentia a Ss. Patribus *laboriosus baptismus* nuncupatur. Trid. declarat: *Quod ad novitatem et integri-*

tatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus et laboribus, divina id exigente justitia, pervenire nequaquam possimus. (Sess. 14, c. 2.)

Hac de causa Ecclesia primis sæculis difficilia opera pœnitentiæ injunxit. Non potest quidem homo Deo satisfacere ad æqualitatem, faciat ergo saltem id, quod potest divina adjutus gratia. Si nemo potest Deo gratias debitas agere, quis ideo eximit hominem ab obligatione exhibendi Deo gratiarum actionem possibilem?

Inferes ex his:

1. Quæ sit facies genuina veræ pœnitentiæ, nimirum ex fructibus cognoscendum, utrum vera sit an spuria. Fructus veræ pœnitentiæ est stabilis morum conversio, mutatio opinionum et præjudiciorum, mutatio affectuum et actionum; superbiæ et ambitioni succedat humilitas, liberimæ sensuum ac mentis evagationi cauta sensuum custodia, recollectio et cordis compunctio, superfluis garrulitatibus solitudo, acediæ diligentia et amor rerum spiritualium, gulæ temperantia, libidini abnegatio sui et corporis castigatio;
2. quid sentiendum de illorum pœnitentia et conversione, quorum vita est continua vicissitudo pœnitendi et peccandi? Præclare hac de re loquitur D. Augustinus in Soliloq.: *Inanis est pœnitentia quam sequens coinquinat culpa, nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata; nihil valet a malis veniam poscere, et mala de novo iterare.* Hi nimirum ipso facto comprobant, nec dolorem nec propositum ad cor penetrasse, sed potius inter Dei illusores esse numerandos quam inter vere pœnitentes.

§ 2. De Necessitate veræ Pœnitentiæ.

Pœnitentia alia *interna* est consistens in dolore de peccato tamquam offensa Dei cum efficaci proposito emendationis et satisfactionis possibilis; alia *externa*, quæ in afflic-

tione corporis consistit sive sponte sua suscepta, sive in sacramento pœnitentiæ a sacerdote injuncta. Communis est omnium sententia, peccatori adulto pœnitentiam internam in re, pœnitentiam externam in voto saltem esse necessariam. Prima pars patet ex Luc. 13, 3: Nisi pœnitentiam habueritis, omnes similiter peribitis. Trid. sess. 14, c. 4: *Fuit autem quovis tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius;* et merito, nemo enim se potest efficaciter ad Deum convertere, nisi prius se averterit a peccato per illius detestationem. Altera pars patet ex dictis § præc. de satisfactione. Aliqui Theologi contendunt, hominem, qui peccatum grave commisit, statim obligari ad eliciendam contritionem, saltem si peccatum memoriæ occurit; hoc vero inter omnes Theologos constat, præceptum pœnitentiæ non solum in articulo mortis, sed etiam in quolibet probabili periculo vitæ, ante administrationem vel perceptionem sacramentorum et alias obligare, licet tempus certum nequeat determinari. Qui enim diu in statu peccati mortalis perseverat, Deum contemnere videtur et periculo alia peccata gravia committendi se exponit. Ideo nos hortatur Scriptura: Non tardes converti ad Dominum, et ne differas de die in diem: subito enim venit ira illius et in tempore vindictæ disperdet te (Eccli. 5, 8; 9.). S. Isidorus Hisp.: *Festinare debet ad Deum pœnitendo unusquisque, dum potest, ne si, dum potest, noluerit, quum tarde voluerit, omnino non possit* (l. II. Sent. c. 13. n. 42.). Proinde propheta ait: Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum dum prope est (Is. 55, 6.) et alibi. Quæretis me et non invenietis (Joan. 7, 36.). In peccato vestro moriemini (ib. 8, 21.). Si hæc cuivis Christiano etiam laico, inculcanda sunt, quid de Religiosis dicendum est, quorum est, teste D. Hieronymo ad Rusticum, plangere, et sua aliorumque peccata deflere? Status enim religiosus essentialiter est status pœnitentiæ.

§ 3. De Qualitate veræ Pœnitentiæ.

De fide tenendum est (contra Protestantes) cum culpa non semper omnem etiam pœnam temporalem tolli; hæc ergo tollenda est per satisfactionem, quæ est pœnæ temporalis afflictivæ voluntaria perpessio vel sponte suscepta vel a confessario injuncta, tum ad compensandam injuriam Deo illatam, tum ad relapsum in peccatum cavendum (vid. Trid. sess. 14, c. 8.). Opera ista satisfactoria sunt *oratio*, *jejunium* et *eleemosyna*. Ad orationem referuntur quævis opera quæ ad cultum Dei pertinent; ad jejunium referuntur omnia opera quæ affligunt; ad eleemosynam pertinent omnes actus misericordiæ tum spirituales tum corporales. Quartum denique modum supperaddit Trid. dum dicit: *Tantum esse divinæ munificentiæ largitatem, ut non solum pœnis sponte a nobis pro vindicando peccato susceptis aut sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis, sed etiam, quod maximum amoris argumentum est, temporalibus flagellis a Deo inflictis et a nobis patienter toleratis, apud Deum Patrem per Christum Jesum satisfacere valeamus* (Sess. 14. c. 9.). *Debent ergo sacerdotes quantum spiritus et prudentia suggesserit, pro qualitate criminum et pœnitentium facultate salutares et convenientes satisfactiones injungere, ne si forte peccatis conniveant et indulgentius cum pœnitentibus agant, lævissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur* (Sess. 14. c. 8.). Quænam pœnæ criminibus sint convenientes ex Ecclesiæ disciplina patet; et licet Ecclesia propter infirmitatem nostram multum remiserit et publicam satisfactionem fere omnino sustulerit, non sustulit naturalem obligationem de peccatis pro viribus satisfaciendi. Dico: ad quid ergo sunt indulgentiæ? Respondeo: Ad abolendas pœnas, facere debes, quod moraliter potes, et Ecclesia per indulgentias faciet, quod tu non potes. Hæc est verior Theologorum sententia, quæ est ad mentem Trid: *Ad remissionem plenam et integram peccatorum sine*

magnis fletibus nostris et labore pervenire non possumus (Sess. 14. c. 2.). Porro Trid. definivit:

1. Esse in Ecclesia potestatem indulgentias impertiendi; et
2. illarum usum esse salutarem; sed non esset salutaris, si tam facile pœnas pro peccatis gravissimis et plurimis debitas tollere possemus (Sess. 25. decr. de Indulg.).

§ 4. De Motivis excitantibus in nobis veram Pœnitentiam.

Primum est peccati mortalis gravitas.

Peccatum mortale a morte animæ sic dictum est libera transgressio legis Dei graviter obligantis. Peccatum mortale est malum, quo majus et horribilius cogitari non potest sive in se consideretur sive in suis effectibus:

1. In se consideratum peccatum mortale est libera, plene deliberata transgressio legis divinæ; homo, vermiculus terræ Omnipotentis ordinationi resistit, erecto colle dicit saltem facto: Non serviam (Jer. 2. 20.); quæ est Dei legislatoris nostri offensa, eaque, cum crescat pro dignitate personæ offensæ, moraliter infinita. Peccatum mortale est totalis aversio a Deo et inordinata ad creaturas conversio; creatura Deo præfertur, proh! quanta injuria! Porro peccatum mortale est summa in Deum ingratitudo: quot enim et quanta beneficia recepimus in creatione, redemptione, sanctificatione! Est perfidia maxima, qua solemniter Deo in baptismo juratam fidem frangimus. Est aut stultitia inexplicabilis aut nequitia intolerabilis, qua odio habemus, quod unice amari, et amamus, quod unice odio haberi meretur;
2. in suis effectibus consideratum, per peccatum mortale homo multa bona perdit eaque maxima; perdit gratiam sanctificantem; ex filio Dei fit filius diaboli; perdit facultatem aliquid boni et meritorii faciendi; perdit omnia merita virtutum hucusque sibi comparata; perdit jus ad hereditatem cœlestem; Si autem averterit se justus a

justitia sua, et fecerit iniquitatem, ... omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur (Ezech. 18, 24.).

Ecce hæc est immensa jactura illa, quam per unum peccatum grave incurrimus! Quanta mala invenit peccator! fit mancipium diaboli, filius iræ Dei; vermis conscientiæ nascitur; homo impotens est, ut sine ope gratiæ cœlestis ex hoc statu egrediatur, inde æternæ damnationis principium et fundamentum!

Inferes:

α) Nulla opera utut perfecta Sanctorum, etiam omnium simul sumptorum, vel ad unum peccatum mortale delendum aut condigne pro eo satisfaciendum sufficere; hinc pro statu præsentis providentiæ, in quo Deus supponitur ex rigore condignum exegisse satisfactionem pro peccato, incarnatio divinæ personæ fuit omnino necessaria;

β) pessimæ istæ qualitates et effectus peccati mortalis perpendendi sunt ad veram et supernaturalem contritionem eliciendam et firmum emendationis et satisfactionis propositum concipiendum;

γ) sicut utilissimum, imo necessarium est sancto quodam timore concuti ob gravitatem et turpitudinem peccatorum mortalium, ita periculosum est cum inordinata pusillanimitate et pene desperatione huic contemplationi nimium inhærere: hinc mox intellectus a peccati horribilitate ad Dei bonitatem et misericordiam infinitam convertendus est. Sæpe igitur cum D. Augustino suspirandum: *Domine, etsi commisi, unde me damnare potes, tu tamen non amisisti, unde salvare potes.*

Secundum est peccatorum venialium gravitas

1. in se cosiderata. Licet peccata venialia hominem non omnino a Deo avertant, et gratia sanctificante seu cari-

tate, ac proinde jure ad gloriam cœlestem, non privent, et cum peccatis mortalibus comparata levia dicantur: nihilominus secundum se considerata tantæ sunt malitiæ, ut ab iis veluti a facie colubri merito fugiamus. Peccatum veniale, secundum se consideratum, pejus quid est omnibus malis physicis collective sumptis, ipsa etiam morte. Videtur hoc ipse Aristoteles solo lumine rationis agnovisse; nam lib. 3, Eth. dicit. *Melius est mori, quam facere aliquid contra bonum virtutis;* quod idem est ac dicere: *Melius est mori quam peccare venialiter.*

Peccatum veniale est offensa Dei; minima autem offensa Dei sine comparatione majus malum est, quam maxima injuria omnia creaturarum: unde potius totus mundus interire permittendus esset, quam unico mendacio Deus offendendus. Quodlibet peccatum veniale tantæ est malitiæ, ut nulla creatura utut perfecta neque omnes simul illud expiare possint, sed et ipsum Christi passione expiari debuit. Quemadmodum ergo de iis, qui motaliter peccant, secundum Hebr. 6. 6. dici potest: **Rursum crucifigentes sibimetipsis filium Dei, et ostentui habentes,** sic qui venialiter peccant saltem multum ad passionem Christi conferunt;

2. in effectibus considerata, gravitas peccatorum venialium etiam magis apparet.

   a) Omnia enim corrumpunt virtutum opera, etiamsi sint nobilissima, imo omne iis meritum non raro detrahunt. Testatur D. Hieronymus: *Quod martyrium ipsum, si ideo fiat, ut admirationem et laudem a fratribus habeamus, frustra sanguis effusus est.* Constat idem ex Matth. 6, 1: **Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum, qui in cœlis est.** Est axioma: *Bonum ex integra causa, malum ex quolibet defectu;*

β) peccata venialia, quo sæpius iterantur, eo magis minuunt fervorem caritatis, criticum quendam in Dei servitio languorem inducunt, cui rerum spiritualium consequitur insolens fastidium, fastidium excipit successive status habitualis tepiditatis, qui corde divino nauseam movet et os ad vomitum provocat. Nec mirum; nam

γ) venam gratiarum actualium obstruunt; in dies Deus magis a nobis recedit, ut tristis et forsitan propria probat experientia;

δ) etsi peccata venialia hominem gratia habituali et caritate non privent, reddunt eum tamen in oculis Dei admodum fœdum et detestabilem. S. Catharina Genuensis maluit se vivam in fornacem succensam injici, D. Anselmus in orcum demergi, D. Chrysostomus a cacodæmone possideri, quam vel minimo peccato veniali se contaminari; et nos tam facile quavis oblata occasione turmatim ejusmodi peccata admittimus!

ε) peccatum veniale disponit ad grave Qui spernit modica, paulatim decidet (Eccli. 19, 1.); et D. Bernardus: *A minimis incipiunt, qui in maxima proruunt.* Crescunt enim successive tentationes, habitus pravi magis invalescunt, propter subtractionem gratiarum in dies evadimus infirmiores et ideo lapsui propinquiores; supervenit gravior tentatio, et in peccatum grave lapsi sumus, quia conscientia, peccatis levibus sæpe iteratis, hebetata et quasi insensibilis effecta ne animadvertit quidem peccatum grave esse commissum;

ζ) meretur quodvis peccatum veniale pœnam temporalem vel in hac vita vel in purgatorio gravissimam. S. Cæsarius Arel.: *Ille purgatorius ignis durior erit, quam quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri aut cogitari aut sentiri.* D. Augustinus: *Hic ignis etsi non sit æternus, miro tamen modo gravis est; superat enim*

omnem pœnam, quam homo unquam passus est in hac vita vel pati potest (sermo de igne purgat.).

Nihil inter se differunt tormenta infernalia ab iis, quæ sunt in purgatorio, quia eadem sunt magnitudine; sed unum est, quo differre possunt, quia infernales finem non expectant et purgatorii pœnæ sunt cum fine. S. Cyrillus (Epist. ad August.). Sed cur tam parvi pendimus peccata venialia? Quia ex una parte de ejusmodi motivis vel raro vel tantum speculative et obiter cogitamus; ex altera vero parte inordinata concupiscentia et objecta sensibilia maximam vim in nos habent.

Ad peccata venialia cavenda adhibe:

1. Considerationem seriam motivorum, quæ modo exposuimus;
2. examen conscientiæ quotidianum tum generale tum particulare;
3. continuam vigilantiam et exactissimam sensuum custodiam;
4. promptam in occasionibus peccandi resistentiam;
5. humilis orationis fervorem;
6. aliud adminiculum detestandi peccata est consideratio novissimorum: In omnibus operibus tuis memorare novissima tua, et in æternum non peccabis (Eccli. 7, 40.). De his passim in libris meditationum.

CAPUT II.

De Mortificatione ad pravos Habitus extirpandos.

Non sufficit cum Deo reconciliari per pœnitentiam et obtinere remissionem peccatorum; debet securis ad radicem eorum poni, i. e. pravi habitus quicunque extirpandi sunt, quia virtutem caritatis variis et præsentissimis periculis exponunt vel certe ejus perfectionem maxime impediunt; sunt veluti spinæ, quæ plantis recentibus succum subtrahunt omnem. Quare incipientium studium ex una parte in eo versari debet, ut peccata, præcipua perfectionis obstacula removeant, ita ex altera parte in eo consistit, ut carnem suam crucifigant continuo cum concupiscentiis suis.

ARTICULUS PRIMUS.

De Mortificatione in genere.

§ 1. De Notione Mortificationis.

Quemadmodum mors naturalis hominem privat vita naturali, ita mortificatio privat eum vita sensuali et inordinata seu legibus morum opposita. Est ergo mortificatio vis quædam virtuosa, qua nos ipsos adigimus ad agendum vel patiendum, quod perversæ nostræ naturæ ejusque inordinatis affectibus contrarium est, et ad omittendum id quod eisdem gratum est. Finis mortificationis est, carnem rationi, rationem Deo plene subjicere, quæ subjectio peccato originali perdita fuit. Non sunt ergo passiones eradicandæ; nec enim ex natura sua malæ sunt, utpote quæ Deum auctorem habent, et etiam in statu innocentiæ fuissent, sed emendandæ et recte dirigendæ.

§ 2. De Divisione Mortificationis.

Totum hominem dividimus in spiritualem et animalem, seu in interiorem et exteriorem. Ad hominem interiorem pertinent *intellectus*, *voluntas* et *memoria;* ad hominem exteriorem referimus quinque sensus, quia in his homo multa habet communia cum animalibus. Quum per peccatum originale totus homo sit corruptus, scilicet pars interior et pars exterior, hinc duplex requiritur mortificatio: interna, quæ intellectum et voluntatem legi divinæ subjicit et inordinatos affectus et inclinationes corrigit; externa, quæ versatur circa refrænandos sensus externos. Alii mortificationem insuper dividunt in activam, quam libere suscipimus, ipsimet nos vim inferentes; et passivam, qua adversitates et molestias ab aliis nobis illatas et Deo disponente vel permittente quocunque modo occurrentes æquo animo amplectimur.

§ 3. De Necessitate Mortificationis.

Necessitas hæc probatur:

1. Ex S. Litteris: **Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere** (Eccli. 18, 30.). **Si quis vult post me venire, abneget semetipsum et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me** (Luc. 9, 23.). **Fratres debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis** (Rom. 8, 12. Matth. 11, 12. Col. 3, 5.);
2. ex Ss. Patribus: *Tota vita christiani hominis, si secundum Evangelium vivat, crux est et martyrium* (D. August.). *Hoc est opus nostrum in hac vita, actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere. Hæc est actio nostra, hæc militia nostra* (S. Climacus);
3. ex exemplis Christi et Sanctorum: Tota vita Christi continua fuit mortificatio; sed quos Deus vocavit,

hos prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui (Rom. 8, 26.). Si commortui sumus, et convivemus: si sustinebimus, et conregnabimus (II. Tim. 2, 11; 12.). Exempla Sanctorum nominatim afferre superfluum est; pro omnibus sufficiat D. Paulus Castigo corpus meum, et in servitutem redigo: ne forte quum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar (I. Cor. 9, 27.);

4. ex ratione: Quid magis necessarium et consentaneum, quam ut pars inferior hominis subordinetur parti superiori, i. e. appetitus sensitivus rectæ rationi? *Quemadmodum magna est abusio*, ait D. Bernardus, *dominam ancillari et ancillam dominari, ita pugnat contra omnia sanæ rationis dictamina, si homo inferior jam non detrectat solum subesse superiori, sed dominium affectat in superiorem despoticum.* Præcipua ratio necessitatis hujus deducitur ex intrinseca corruptione naturæ, nam Sensus et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua (Genes. 8, 21.) et Caro concupiscit adversus spiritum (Galat. 5, 17.) et quotidiana docet experientia; accedunt malæ consuetudines, perversa aliorum exempla et dictamina, dæmonis mille fraudes. Quis ad perfectam Dei caritatem perveniet per exactam votorum substantialium, s. Regulæ et Constitutionum observantiam, nisi prius removerit impedimenta hujus observantiæ maxima, inordinatum scil. appetitum honorum, divitiarum, voluptatum etc.? Quis in parvis æque ac in magnis rebus humiliter superiori obediet, nisi continuo sciverit abnegare judicium et voluntatem propriam? Ergo mortificationis exercitium Religiosis maxime est necessarium.

§ 4. De Utilitate et Jucunditate Mortificationis.

Fructus mortificationis nobilissimi sunt:

1. Pax et tranquillitas animi. Omnis perturbatio et inquietudo a rebelli concupiscentia et natis inde inordinatis

passionibus oritur; hoc patet in homine ambitioso, invido, rixoso, iracundo, lascivo etc.: propria testatur conscientia; jam vero cessante causa cesset oportet effectus. *Quandocunque homo aliquid inordinate appetit, statim in se inquietus fit, ... si autem prosecutus fuerit quod concupiscit, statim ex reatu concupiscentiæ gravatur; . . . . resistendo ergo passionibus invenitur pax vera cordis, non autem eis serviendo* (Imit. Chr. l. 1. c. 6.). Qui perfectum in se dominium exercet, in quibuscunque adversitatibus et tentationibus cum Propheta dicere potest: **Si consistant adversum me castra, non timebit cor meum** (Ps. 26, 3.). Exemplo sunt Sancti;

2. facilitas in virtutum exercitio, quia per mortificationem impedimenta virtutum removentur. In tentationes homo mortificatus raro incidit, quia per continuam sensuum custodiam occasiones vitat, tum proximas tum remotas; exortas vero tentationes facile superat, quia in resistendo cupiditatibus bene est exercitatus; qui res licitas sæpe sibi denegat, ab illicitis facile abstinebit. Recte Imit. Chr. *Tantum proficies, quantum tibi ipsi vim intuleris* (l. 1. c. 25.);
3. decora hominis exterioris compositio; si enim voluntas bene est affecta, hoc ipso etiam omnes motus exteriores bene erunt compositi propter arctam inter corpus et animam connexionem. Ex hac decora hominis exterioris compositione consequitur vitæ et actionum nostrarum exemplum optimum et adimplebimus illud Lucæ 12, 35: **Sint lumbi vestri praecincti et lucernae ardentes in manibus vestris.** *Lucernas ardentes in manibus tenemus*, ait S. Gregorius, *cum per bona opera proximis nostris lucis exempla monstramus* (hom. 13 in Ev.). Et sane exempla trahunt. Quod sæpe in petulante Religioso efficere non poterant exhortationes, meditationes etc., quandoque bonum exemplum confratris potest. Bono exemplo præluceant maxime concionatores, con-

fessarii, superiores, ne dicatur ipsis: **Dicunt et non faciunt** (Matth. 23, 3.) et **Medice, cura te ipsum** (Luc. 4, 23.).

ARTICULUS SECUNDUS.

De Mortificatione in specie.

A. De Mortificatione interna.

§ 1. De Mortificatione Intellectus et Abnegatione proprii Judicii.

Necessitas mortificationis intellectus patet; nam voluntas utpote cæca in omnibus dependet a directione intellectus; nihil volitum quin præcognitum ideoque perversitatem intellectus consequitur inordinatio voluntatis, inordinationem voluntatis sequitur inordinatio ceterarum potentiarum executricium. Tria sunt intellectus vitia præcipua, quæ mortificatione tolli debent: *curiositas*, *temeritas*, *pertinacia*.

I. Curiositas.

1. Hoc vitio laborat homo in iis penetrandis, quæ captum hominis superant e. g. mysteria fidei. **Altiora te ne quæsieris, et fortiora te ne scrutatus fueris; sed quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, et in pluribus operibus ejus ne fueris curiosus. Non est enim tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis** (Eccli. 3, 22. 23.). Inde enim oriuntur sæpe tentationes, imo errores circa fidem;

2. quando inordinate scire appetit, quæ proximum attinent, mordacem censorem actionum confratrum se constituit, superiores oculo lynceo observat: quot inde judicia temeraria.

II. Temeritas.

Ne ex indiciis dubiis vel rationibus levissimis judices de vita et moribus proximi. Quod tibi non vis fieri, alteri

ne feceris. Quis te constituit judicem? Rerumque temerarii hujusmodi judices hoc ipso pejores se ipsos esse probant, plerumque enim alios tales esse judicamus, quales ipsi sumus, juxta illud: **In quo enim judicas alterum, te ipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas** (Rom. 2, 1. Eccl. 10, 3 et Matth. 7, 1.). *Quæcunque audis vel vides, puta bona intentione dici vel fieri, etiamsi contraria videantur.* (D. Bernard.). Si malum adeo est apertum, ut excusari nullatenus possit, compatere infirmitatibus aliorum, tibi invigila; qui enim stat videat ne cadat; si Deus gratiam tibi subtraheret, nonne quovis peccatore esses deterior?

III. Pertinacia.

Laborant hoc vitio, qui mordicitus suæ inhærent opinioni. Pertinacia hæc est filia superbiæ. Homines proprio suo judicio pertinaciter inhærentes nocent sibi, dum sæpe gravissimis se exponunt periculis; nocent communitatibus, in quibus factiones et dissidia excitant, sunt flagella superiorum et confratrum. **Quasi peccatum ariolandi est, repugnare: et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere** (I. Reg. 15, 23.). Præcipue radicitus ab intellectu sunt eliminanda laxa quævis conscientiæ dictamina.

Actus Mortificationis Intellectus:

1. Cogitationes statui tuo parum convenientes, sollicitudines de parentibus et amicis, recordationem eorum quæ in sæculo vidisti vel audisti, cogitationes de cibis, de recreationibus, de muneribus tibi injungendis et similes statim repelle. Pro parentibus amicisque preces funde quotidie, ceterum sine mortuos sepelire mortuos; non solum corpore sed maxime affectu mundum relinquere debemus;
2. caveas ne unquam legendo schediasmata hujus sæculi, etiam in materia religionis, periculosissimis intellectum

tuum præjudiciis repleas; semper aliquid hæret. Libros ad tempus terendum vel curiositatem fovendam ne legas, præcipue neglectis libris piis vel theologicis vel aliis tibi utilioribus;

3. ne sis præceps in judicando vel sententia ferenda; rationibus tuis modeste expositis humiliter aliis cede;
4. alienis negotiis importunus ne te immisceas, aliorum et præcipue superiorum modum agendi eorumque ordinationes noli examinare et dijudicare; quid ad te?
5. novitates audire, epistolas recipere etc. ne desideres.

§ 2. De Mortificatione Voluntatis propriae et inordinati Amoris proprii.

Voluntatem dico propriam, ait D. Bern. serm. 3. de resurrectione Domini, *quæ non est communis cum Deo et hominibus, sed nostra tantum, quando quod volumus, non ad honorem Dei, non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus.* Benedictino neque voluntatem licet habere in propria potestate; per votum obedientiæ jus omne in superiorem transtulit (s. Reg. c. 33.). *Voluntatem propriam odire* (s. Reg. c. 4. Instr. 60.). Radix omnis peccati est voluntas propria et amor sui. *Cesset voluntas propria et infernus non erit* (D. Bern. serm. 3. de resurr. Dom.). *Sicut totum hominis bonum est amare Deum, ita totum hominis malum est amare seipsum* scil. inordinate (D. Aug.).

Per peccatum originale voluntas corrupta est et ad malum inclinatur: nitimur in vetitum. Hinc saluberrimum illud attendamus: Post concupiscentias tuas non eas, et a voluntate tua avertere. Si praestes animae tuae concupiscentias ejus, facient te in gaudium inimicis tuis (Eccli. 18, 30. 31.). Hinc necessaria est mortificatio voluntatis propriæ, quæ in eo consistit, ut voluntas ab omni inordinato amore sui et creaturarum retrahatur. Contraria contrariis curantur. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam (Joan. 12, 25.).

Actus Mortificationis Voluntatis propriæ:

1. Nihil velle facere, omittere, recusare, nisi quod volunt superiores voluntate expressa, tacita vel prudenter præsumpta. Nisi efficiamini sicut parvuli etc. (Matth. 18, 3.). Deus reprobat opera etiam religionis præstantissima, in quibus reperitur voluntas propria;
2. distributionem temporis et omnes superiorum ordinationes quasi dispositiones divinas accuratissime observare;
3. nunquam agere aliquid ideo, quia sibi placet, sed quia Deo;
4. desiderare nunquam, ut res quæcunque secundum nostrum proprium desiderium eveniant, sed ut in omnibus Dei voluntas fiat.

Signa propriae Voluntatis adhuc praevalentis:

1. Ea solum prompte et diligenter facere, quæ placent, in ceteris tædio affici;
2. singularia amare, in exercitiis communibus languere;
3. difficulter aliorum imperio se subdere, vel aliis se accommodare;
4. contra superiorum monita et correctiones indignari, murmurare;
5. exemptiones a communibus oneribus efflagitare et molesta in alios rejicere;
6. quæ desideramus, importune a superioribus extorquere, fugere rerum inopiam et vilitatem;
7. propter difficultates, incommoditates, mores superiorum vel confratrum, desiderare mutationem monasterii, officii etc.;
8. pro favoribus, recreationibus etc. acriter contendere aliosque ad similia defendenda animare;
9. amicitiam particularem fovere,

§ 3. De Mortificatione Memoriae.

Memoriæ officium est, ideas ex objectis externis per sensus in anima excitatas recipere, conservare et suo tempore intellectui iterum repræsentare. Intellectus molæ comparatur, quæ conterit, quidquid memoria affuderit; sive bonum sive malum est, inde concupiscentia et inordinatio voluntatis exoritur. Patet ergo necessitas mortificationis memoriæ, quæ in eo consistit, ut memoria a reminiscendis rebus inutilibus, periculosis vel nocivis cohibeatur et ad res utiles vel necessarias reminiscendas adigatur.

Actus Mortificationis Memoriae:

1. Imaginationi circa res vanas non indulgere. Parva scintilla sæpe magnum excitat incendium, a vanis ad obscœna facile fit transitus;
2. peccata præterita, confessione sacramentali expiata, non secundum particulares circumstantias, sed solum in genere recordari ad humilitatem, pœnitentiam etc. fovendam; præcipue in re turpi hoc observandum et hominibus anxiis valde inculcandum;
3. nunquam sibi imaginari honores, temporalium bonorum possessionem etc. quia affectum erga hujusmodi res inordinatum excitant et augent magnopere;
4. tempore orationis non admittere cogitationes ceteroquin utiles v. g. circa officia;
5. nunquam recordari injurias ab aliis illatas;
6. cogitationes pias (ex meditatione mututina) proposita in mentem sibi sæpius revocare, in præsentia Dei ambulare.

§ 4. De Mortificatione Passionum malarum.

Passio generice sumpta quævis vehemens animi propensio vel aversio dicitur; quodsi objectum passionis malum vel modus inordinatus est, passio evadit mala. Passiones

malæ pace interna nos privant et inconstantes nos reddunt, nunc timidos, nunc iratos, nunc inordinate gaudentes; virtutes suffocant, in peccata gravissima præcipitant. Actum ergo erit de perfectione christiana, nedum religiosa, nisi passiones mortificemus. *Habitus et tonsura*, ait Imit. *modicum conferunt, sed mutatio morum et integra mortificatio passionum verum faciunt Religiosum* (l. 1. c. 17.).

Mortificatio passionum consistit in virtuoso (ex motivo nempe virtutis præsertim caritatis erga Deum, secus est sine merito) quodam et efficaci conatu per frequentes actus tum internos tum externos ea tantum et eo modo prosequendi vel fugiendi, quæ et quomodo recta ratio prosequenda vel fugienda dictat. Ut hanc passionum mortificationem strenue et cum successu aggrediamur, ope meditationis, lectionis spiritualis, examinis conscientiæ, naturam, turpitudinem, radices, pravos effectus singularium passionum et media ad eas eradicandas opportuna cognoscamus necesse est.

Præcipua Media et generalia hic suppeditamus:

1. Meditationem, lectionem spiritualem, examen conscientiæ, præcipue particulare, secundum methodum Parte II. hujus tyrocinii expositam perage;
2. sæpius per diem actus virtutum tum internos tum externos passionibus contrarios exerce: Consuetudo consuetudine vincitur;
3. sollicite occasiones peccandi prævide, et declina vel saltem te obarma; minus enim feriunt tela, quæ prævidentur;
4. principiis obsta, sero medicina paratur, quum mala per longas invaluere moras;
5. patri spirituali tanquam medico sincere te manifesta et religiose obedi;
6. in te diffide, sed in Deo confide; gratias ad resistendum tentationibus necessarias humili oratione, frequenti et

digna sacramentorum perceptione, Sanctorum intercessione tibi compara.

§ 5. De Mortificatione Respectus humani.

Respectus humanus est inordinata cupiditas placendi hominibus, eisque displicendi metus vilis, qui proinde nos impellit ad plurima mala agenda ac plurima bona omittenda, ut aliorum gratiam aucupemur, aliorum vituperium evitemus; opera in se bona prava intentio corrumpit. Originem habet a superbia, qua æstimari cupimus, vilipendi fugimus.

Respectus humanus

1. injuriosus est Deo, quia homines magis timentur, quam Deus; eorum gratia majoris fit, quam amicitia Dei. **Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur** (Jac. 4, 4.). **Si hominibus placerem, Christi servus non essem** (Gal. 1, 10.). **Nemo potest duobus dominis servire** (Matth. 6, 24.);
2. respectus humanus homini valde est nocivus; maxime in religiosis communitatibus ejus effectus pessimi apparent; facit hominem ad quasvis transgressiones regulares paratum, opera pietatis erubescentem, ut torvum vultum confratrum fugiat. **Qui timet hominem cito corruet** (Prov. 29, 25.). Præcipue religiosis juvenibus hic scopulus periculosissimus;
3. respectus humanus opera quæ homo facit, utut in se præstantissima, ob defectum puræ intentionis corrumpit, quin imo homo respectu humano affectus nullam habet virtutem solidam; arundini comparatur, quæ vento quovis levissimo agitatur, erubescit se palam pro Deo declarare, ergo erubescet eum Filius hominis. *Qui non appetit hominibus placere, nec timet displicere, multa perfruetur pace* (Imit. Chr. l. 3. c. 28.).

Actus Mortificationis Respectus humani sunt:

1. Non curare, multo minus investigare, quid de nobis dicant homines, ipsi etiam superiores. Deum solum

respice; recte faciendo non habes, quod quemquam timeas;

2. sarcasmis, dicteriis etc., quibus nostra religiose vivendi ratio traducitur, non moveri;
3. non laxa confratrum dictamina et exempla, sed s. Regulam et Statuta sequi et exempla Sanctorum, etiam in rebus minimis;
4. nemini adulari, et familiaritates particulares fugere, a nemine serviliter et turpiter dependere;
5. humilitati studere, qua vilipensiones quascunque non timeamus.

B. De Mortificatione externa.

§ 1. De Mortificatione Visus.

Per visum excitantur in nobis ideæ longe vivaciores, quam per alios sensus, ideo visus periculosissimus. Vestigia terrent: David, Samson etc. Nequius oculo quid creatum est (Eccli. 31, 15.)? Vulnera per incautam oculorum evagationem animæ illata sæpe post longum tempus erumpunt et tentationes causant gravissimas. S. Benedictus. Quot inde cogitationes inutiles, distractiones, judicia temeraria, desideria parva!

Praxis hujus Mortificationis:

1. Non aspicere partes inhonestas in proprio vel alieno corpore vel in picturis;
2. mulieris, præsertim junioris, faciem vel nunquam vel saltem non fixe aspicere. Virginem ne conspicias, ne forte scandalizeris in decore illius (Eccli. 9, 5.). *Mulierum conspectus est sagitta veneno illita, quæ ferit animum et venenum immittit, et quo diutius manet, eo magis vulnus putrescit* (S. Nilus, orat. 2. adv. vitia);
3. oculos avertere etiam a splendido mulierum vestitu;
4. neque pueros fixe adspicere vel juvenes decoros;

5. oculos custodire in choro, in ecclesia, in deambulatione etc.; generatim nullibi curiose circumspicere;
6. oculos sæpius cohibere etiam ab objectis per se indifferentibus, quotiescunque ad ea videnda specialem sentimus pruritum;
7. aspectum rerum indifferentium per piam quandam contemplationem sibi reddere utilem.

§ 2. De Mortificatione Auditus.

Nisi auditus mortificetur, mens innumeris impletur cogitationibus, quibus distrahitur, in oratione turbatur, variæ passiones excitantur, peccatorum alterius, præcipue detractionum, particeps fit. Hinc: **Sepi aures tuas spinis** (Eccli. 28, 28.). *Nec præsumat quisquam aliis referre, quæcunque foris viderit aut audierit, quia plurima destructio est* (s. Reg. c. 67.).

Praxis hujus Mortificationis:

1. Verba obscœna, etiam ex joco dicta, non audire, sed sermonem alio divertere, vel discedere, vel saltem displicentiam quandam ostendere, inferioribus vel æqualibus in faciem resistere;
2. aures avertere a graviter vel leviter detrahentibus famæ alterius, etiamsi res vera, occulta tamen esset;
3. aures avertere a murmurationibus contra superiores, officiales vel confratres, imo illorum defensionem vel excusationem suscipere;
4. nunquam curiose attendere, multo minus indagare, quæ alii secreto loquuntur;
5. pronum non esse ad percipiendas sæculi rumores, novellas, et quæcunque mentem ex naturali etiam compassione vel affectu anxiam et inquietam reddere possent, quia magnum sunt recollectionis et rerum spiritualium impedimentum;

6. libenter audire et continuare colloquia pia. Laxorum enim Religiosorum est hujusmodi sermones fastidire, contemnere, irridere;
7. libenter audire superiorum exhortationes, monita, correctiones. Pravi enim Religiosi hujusmodi monita impatienti animo audiunt, arguunt, sugillant, flocci faciunt.

§ 3. De Mortificatione Gustus.

Quo delicatius caro nutritur, eo fit insolentior, augentur humores maligni et ideo morbi; caro magis concupiscit adversus spiritum, anima aggravatur, et ad negotia minus fit apta juxta illud: *Plenus venter non studet* (nec orat), *libenter*. Peccatur:

1. Quoad quantitatem;
2. quoad qualitatem;
3. quoad modum sumendi.

Cibi et potus quantitas ex corporis constitutione et genere laborum dimetienda et propria cujusvis experientia exploranda est. Ceterum natura paucis contenta est, ut exempla probant. Edacitas et potandi libido ex educatione et consuetudine prava repetendæ, et contraria consuetudine vincendæ sunt. Si quis post mensam majorem quam alias sentit torporem, somnolentiam et pigritiam, intemperantiæ se accuset, multo magis si mane multas experitur eructationes, signa cibi nondum concocti.

Praxis hujus Mortificationis:

1. Nunquam ex solo appetitu naturali pecudum more in cibum et potum involare, sed prius piam intentionem præmittere;
2. si plures cibi quam necessarii sunt, apponuntur, unum alterumve relinquere amore paupertatis, pœnitentiæ etc. Non te effundas super omnem escam: in multis enim

escis erit infirmitas, ... qui autem abstinens est, adjiciet vitam (Eccli. 37, 32. et seqq.);

3. cibis communibus esse contentum, nec unquam propterea murmurare contra officiales, famulos etc. multo minus alios ad hoc excitare;
4. a cibo grato ex parte vel ex toto abstinere;
5. extra tempus ordinarium non manducare sine necessitate et petita licentia, multo minus cupedia sibi procurare;
6. regulas urbanitatis et modestiæ, præsertim inter sæculares, observare;
7. lectioni mensali attendere.

§ 4. De Mortificatione Odoratus.

Per odoratum peccamus, si solum delectationem intendimus; mortificatur odoratus, si nares cohibeamus; a percipiendis sine justa causa rebus odoriferis et ad sustinenda interdum ingrata applicemus.

Praxis hujus Mortificationis:

1. Linteola et alias vestes balsamo odorifero etc. inuncta non circumferre; viros enim, multo magis Religiosos, dedecet;
2. flores non decerpere et circumferre;
3. suffitu exquisito in sua cella non uti;
4. a tabacco omnino abstinere, vel saltem moderate eo uti;
5. graveolentiam e. g. apud ægrotos, patienter sustinere.

§ 5. De Mortificatione Tactus.

Hic sensus castitati est periculosissimus. Cogitemus corpus nostrum esse templum Spiritus Sancti. *In quolibet angulo*, ait D. Bernardus, *angelo tutelari debitam habeamus reverentiam.* Mortificatio hujus sensus in eo consistit, ut abstineamus a mollibus rebus et sensui huic blandientibus et amplectamur aspera, molesta, corpus affligentia.

Praxis hujus Mortificationis:

1. Partes corporis sui inhonestas nunquam sine necessitate tangere, multo minus alterius;
2. etiam partes honestas e. g. faciem alterius cujuscunque sexus non tangere, nec manum comprimere et similia;
3. neque animalia, e. g. canes libere tangere;
4. modestum corporis situm in sedendo, jacendo etc. servare.
5. frigus, æstum, morbos etc. patienter ferre;
6. lecto duro, cilicio, flagello discrete et ex consilio patris spiritualis uti.

§ 6. De Mortificatione Linguæ.

Si quis putat se religiosum esse, non refrænans linguam suam, hujus vana est religio (Jac. 1, 26.), et c. 3, 6. linguam vocat universitatem iniquitatis. Os lubricum operatur ruinas (Prov. 26, 28.). Et merito; quot enim verba vana, adulatoria, mendacia, detractoria, scurrilia, caritatem lædentia, murmurantia, minus casta etc.! En quantæ ruinæ! Atqui omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii (Matth. 12, 36.). *Inter sæculares*, ait D. Bernardus, *nugæ sunt, in ore sacerdotis blasphemiæ. Consecrasti os tuum Evangelio, talibus jam aperire illicitum, assuefacere sacrilegium est* (De consideratione.). Quanto magis de Religioso hoc dicendum est. Omnes Ss. Ordinum institutores silentii observantiam valde inculcarunt, nam vir linguosus non potest esse recollectus et orationi deditus, ac proinde in perfectione non proficiet. Lingua ergo est mortificanda, i. e. a verbis otiosis et quomodocunque peccaminosis abstinendum, neque loquendum nisi de rebus utilibus et piis. *Fabri fabrilia tractant, nautæ navalia narrant*, ait proverbium; quis ergo Religiosum dixerit, qui nihil horret magis, quam de materia religionis disserere!

Praxis hujus Mortificationis:

1. Singularem semper adhibere vigilantiam, ne ex impetu et ex dominante quadam passione loquamur;
2. cum bona intentione et proposito ad colloquia accedere;
3. non loqui locis, temporibus et cum personis prohibitis;
4. cavere loquacitatem: in multiloquio non deerit peccatum;
5. nunquam dicere quod factiones in communitate excitare, auctoritatem superiorum minuere, famam vel caritatem lædere vel quomodocunque peccaminosum esse posset;
6. regulas modestiæ (Parte II. tyroc.) in loquendo servare;
7. interdum etiam a licitis sermonibus abstinere.

DISSERTATIO II.

De Via illuminativa.

Declina a malo (Ps. 36, 27.), hoc primum est, sed non sufficit; et fac bonum, hoc alterum est et in via illuminativa seu in secundo perfectionis gradu faciendum; Magis satagite ut per bona opera certam vestram vocationem, et electionem faciatis (II. Petr. 1, 10.). De virtutibus igitur agendum.

CAPUT I.

De Virtute in genere.

§ 1. De Notione Virtutis in genere.

Virtus est: *Habitus perficiens substantiam rationalem ad bonam operationem inclinans ac facilitans.* Alii ita definiunt: *Habitus seu firma et efficax animi dispositio legem divinam adimplendi.* Qui magnam difficultatem in virtute exercenda experitur, virtutem nondum acquisivit, sed is tantum, qui virtutis actus *prompte*, *facile* et cum *voluptate* exercet. Habitus (acquisitus) actibus repetitis acquiritur. Ut actus aliquis virtuosus sit, debet

1. in se esse bonus seu legi divinæ conformis;
2. deliberatus et liber;
3. ex motivo honesto elicitus;
4. nulla circumstantia prava vitiatus; nam bonum ex integra causa, malum ex singulis defectibus. Ut iste actus etiam *meritorius* sit, debet porro esse
5. ope gratiæ supernaturalis,
6. in statu gratiæ sanctificantis elici.

§ 2. De Divisione Virtutum.

Aliæ virtutes dicuntur *theologicæ*, quarum objectum immediatum est ipse Deus, nempe fides, spes et caritas; motivum formale earum est perfectio quædam Dei essentialis, scil. fidei: infinita Dei veracitas; spei: infinita ejus potentia, misericordia et fidelitas; caritatis: infinita ejus

bonitas absoluta et respectiva; ideo hæ virtutes omnium sunt nobilissimæ et maxime necessariæ. Aliæ virtutes dicuntur *morales*, quarum est hominum actiones juxta dictamen rectæ rationis, legem divinam et humanam dirigere. Inter virtutes morales aliquæ dicuntur *cardinales*, quibus ceteræ innituntur et in iis omnis vitæ honestas quasi ostium in cardine vertitur. Virtutes cardinales ex communi sententia sunt: *prudentia*, *justitia*, *temperantia*, *fortitudo*.

§ 3. De Modo acquirendi Virtutes.

Inter media virtutes acquirendi tria sunt potissima: *meditatio*, *exercitium* et *examen*, præcipue particulare. Sine cognitione, sine amore, sine petitione nulla virtus acquiritur; nam incogniti nulla cupido; quod non cupimus et amamus id comparare nobis non laboramus; sed sine gratia Dei nullam virtutem supernaturalem comparare possumus; **Sine me nihil potestis facere** (Joan. 15, 5.). **Non quod sufficientes simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis: sed sufficientia nostra ex Deo est** (II. Cor. 3, 5.); gratiam vero Deus ordinarie humiliter petentibus concedit. Tria autem hæc: *cognitio*, *amor*, *petitio* partes essentiales meditationis sunt.

Sine actuali exercitio seu frequentatione actuum nulla virtus acquiritur, quia virtus, de qua hic sermo, est habitus; habitus autem repetitis actibus acquiritur, quod etiam ex inductione habituum quorumvis naturalium patet.

Ex hoc colliges, quam insipienter agant, qui perfectioni intendentes anxii fiunt, a Deo se derelictos arbitrantur, cum in varias tentationes et virtutis exercendæ occasiones incidunt. Patientia sine tribulationibus, humilitas sine vilipensionibus et confusionibus, temperantia sine abstinentia etc. acquiri nullo modo possunt.

Examen conscientiæ quantum conferat ad vitia exstirpanda et virtutes acquirendas ex ipsius natura patet; præci-

pue commendandum examen particulare; nam pluribus intentus minor est ad singula sensus. Per continuam vigilantiam et fidelem propositorum executionem virtus in dies magis firmatur. Hoc examen particulare tamdiu est continuandum, donec incipiamus actus virtutis cum *promptitudine*, *facilitate* et *delectatione* perficere. Quæ tamen facilitas et delectatio interdum non ex virtute jam acquisita sed ex fervore devotionis transeuntis, ex felici successu peracti alicujus negotii, significato superioris favore etc. provenit; ordinarie hæc inferunt transeuntem tantum voluntatis promptitudinem, nequaquam firmam ac stabilem; facilitas ergo in ipso habitu et frequentatione actuum sit fundata oportet; nimirum virtus etiam tempore desolationis et afflictionis firma persistat.

CAPUT II.

De Virtutibus in specie.

ARTICULUS PRIMUS.

De Solertia in rite obeundis operibus communibus et quotidianis.

§ 1. De Natura et Necessitate hujus Solertiæ.

Solertia hæc est virtus, qua quis acediam fugiens, labores et negotia quæcunque ex officio vel ex obedientia vel ratione status incumbentia debito tempore, modo et ordine

diligenter et pro viribus peragit. Quantæ sit necessitatis hæc virtus facile patet, quum tota fere Religiosi perfectio in ea consistat. Certe ille Religiosus perfectus est, qui constanter et perfecte Dei voluntatem exequitur; nam is ipso opere perfectam erga Deum caritatem ostendit. Opera extraordinaria et heroica non ab omnibus Deus exigit vel raro occasio se offert; Qui fidelis est in minimo, et in majori fidelis est: et qui in modico iniquus est, et in majori iniquus est (Luc. 16, 10.). Porro qui in parvis et quotidianis rebus fidelis non est, neque in majoribus erit; nam ipsa fidelitate illa in rebus minutis gratias speciales ad res majores peragendas acquirimus. Bene notat S. Ephrem: *Non ad actionem respicit Deus, sed ad propositum voluntatis, et non intuetur, quod fit, sed quo studio et propensione peragatur* (l. 3. serm. de pœnit.).

§ 2. De pura Intentione Operibus nostris quotidianis præmittenda.

Intentio pura ea est, qua soli Deo placere, sanctissimam ejus voluntatem exequi et sic gloriam ejus extrinsecam augere cogitamus. Intentio vel est *actualis*, qua hic et nunc aliquid ad Deum referimus; vel *virtualis*, quæ quidem jam præteriit, sed in sua efficacia adhuc remanet, ita ut quis vi et virtute intentionis antea habitæ id modo faciat quod facit; e. g. si quis peregrinatur in aliquem locum, intentio peregrinandi virtualiter perseverat: intentio *habitualis* est intentio actualis præterita et nondum per actum contrarium revocata, tamen non amplius influens in actiones. Hæc intentio habitualis non sufficit, ut actio sit bona et meritoria. Ut actiones nostræ supernaturaliter bonæ et meritoriæ sint, eas immediate vel saltem mediate ad Deum referre debemus; Qui reliquerit domum . . . . propter nomen meum, centuplum accipiet (Matth. 19, 29.). Sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis: omnia in gloriam Dei facite (I. Cor. 10, 31.). D. Ambrosius dicit: *Christianus*

debet omnia in laudem Dei referre (sup. verba Malach. 1, 6.). D. Bernardus: *Quidquid facimus, jubemur facere in gloriam Dei.* Benedictinorum symbolum (ex s. Regula c. 57.) semper erat: *Ut in omnibus glorificetur Deus;* et S. Ignatii: *Ad majorem Dei gloriam.* Omnis actus humanus i. e. deliberatus, ut sit bene ordinatus, proinde moraliter bonus, debet procedere ex motivo finis ultimi; per hoc enim discernitur hominis actio a modo operandi brutorum; atqui hominis finis ultimus est Deus, nempe ut ei serviat in hac vita et in altera Eum possideat, ergo omnes actiones saltem mediate ad Deum referri debent.

Propter ultimam hanc rationem multi theologi contendunt, non esse actum humanum (i. e. deliberatum) in individuo, qui sit indifferens seu neque bonus neque malus; dicunt enim, vel refertur actio in Deum et est moraliter bona, vel non refertur (saltem mediate) in Deum, et est inordinata, ideoque mala. Hoc saltem certissimum est, per intentionem puram minimas quascunque actiones altiorem gradum gloriæ cœlestis in æternum duraturæ nobis comparare, sine illa intentione laborem et operam perdi. *Deus cor et non substantiam pensat, nec perpendit quantum, sed ex quanto proferatur* (D. Gregorius hom. 5. in Ev.). Magnum hoc solatium afferre debet iis, quibus officia vilia committuntur, et commissa infeliciter succedunt.

Inferes:

1. Intentio matutina ad singulas diei actiones se extendens Deo quidem acceptissima et nobis utilissima est, ideoque quotidie summo cum caritatis fervore elicienda; sua tamen facile privabitur efficacia, nisi sæpius per diem ante actiones majoris momenti renovetur; secus in habitualem intentionem desinit, unde fit, ut actiones partim ex sola tepida consuetudine, partim ex motivis pravis nempe respectu humano, vana gloria, amore proprii commodi etc. peragantur;

2. non sufficit opus intentione pura præmissa inchoare, sed eadem intentione continuetur et finiatur. Astutia diaboli est, ut opus corrumpat in principio, quum intentionem puram omittimus vel pravam habemus; si hoc non obtinet, sub ipso opere varia ingerit motiva prava, vel saltem in fine vanam complacentiam et inordinatum laudis appetitum instillat;
3. valde utile est, plures intentiones supernaturales specifice diversas actionibus præmittere, e. g. jejunare ex motivo temperantiæ, castitatis, pœnitentiæ, obedientiæ, humilitatis etc.; nam eo magis Deus honoratur, meritum multiplicabitur, intentio perficitur.

Facile tamen contingit, ut operibus nostris intentiones pravæ se insinuent, his signis cognoscuntur:

1. Si de felici aliorum in suis muneribus successu tristitiam vel invidiam sentimus;
2. si negotio infelici successu peracto valde dejicimur;
3. si exercitia spiritualia propter ariditatem, desolationem negligimus vel abbreviamus;
4. si ad officia vilia a superiore commissa minus prompte nos accingimus;
5. si officia, quia a superiore propter ea in aliquibus reprehensi, languide et cum tædio continuamus.

§ 3. De Modo rite et perfecte obeundi Opera nostra.

Ad opus bonum perfecte peragendum non sufficit pura intentio, debet etiam modo debito fieri, et quidem:

1. *Tempore debito;* hoc maxime in religiosa communitate propter ordinem necessarium est. Omnia tempus habent (Eccl. 3, 1.). Opera, quæ horis præscriptis non fiunt, nisi excuset necessitas vel causa rationabilis, partus sunt proprii judicii et voluntatis, Deoque displicent vel saltem minus placent. Huc pertinet quod S. Benedictus c. 5. de promptitudine obedientiæ dicit, Exer-

citia præcipue spiritualia dilata, vel festinanter vel negligenter fiunt, vel omnino omittuntur;

2. *integre et diligenter.* Contra hanc conditionem peccant, qui passim ad communia obedientiæ opera serio veniunt, ante tempus sine necessitate discedunt, ex fastidio opera sua incompleta relinquunt, vel a negotiis vocationis suæ perfunctorie absolutis ad occupationes minus utiles festinant, opera injuncta languide et nauseabunde peragunt. Maledictus, qui facit opus Dei fraudulenter (Jerem. 48, 10.);

3. *hilariter.* Non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus (II. Cor. 9, 7.). *Serenitas in vultu,* inquit D. Bernardus, *dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis* (de virt. obed.). Qui sub onere gemit, illud non diu portabit. Quis non libenter servit ei, quem sincere amat? Domino tam nobili? tam benigno? pro tanto præmio?

4. *attente et unice,* sine inordinata solicitudine aut distractione ad alia vel jam acta vel mox agenda; *Age quod agis.* Ne in multis sint actus tui (Eccli. 11, 10.);

5. *modeste,* ad ædificationem aliorum, et ob reverentiam Dei præsentis et Angeli custodis;

6. *pacate,* sine inordinato desiderio hominibus placendi, et sine timore iis displicendi; simus resignati quoad eventum operis; Deus cor respicit, et conatum præmiat.

§ 4. De Mediis perfecte peragendi Opera quotidiana.

1. *Efficax voluntas et desiderium* cuncta perfecte peragendi. Pro majori vel minori hoc desiderio major vel minor erit virium intensio, vigilantia applicandi media, solertia impedimenta removendi.

2. *Diffidentia sui.* Superbis et præsumptuosis Deus resistit et gratias suas subtrahit, ut vel sic confusi resipiscant,

3. *Confidentia in Deo;* Scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est (Eccli. 2, 11.). Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia .... ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus (I. Cor. 1, 27. 29.). Hæc est voluntas Dei, sanctificatio vestra (I. Thes. 4, 3.); ergo dabit etiam gratias necessarias. Christus in ægrotis, quos sanaturus erat, confidentiam excitare studebat (Matth. 9, 2. 22.).
4. *Humilis oratio. Vult enim Deus rogari*, ait D. Gregorius, *vult cogi*, *vult quadam importunitate vinci.* Oratio igitur requiritur humilis, fervens, constans, vera fide et caritate formata. Omnia quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis (Marc. 11, 24.).
5. *Actuale exercitium;* debemus gratiæ strenue cooperari: *Qui fecit nos sine nobis*, *non vult salvare nos sine nobis*, certissima est D. Augustini sententia.
6. *Quodvis opus ita* faciamus, ac si postremum totius vitæ foret; neque frivola est imaginatio, quia neque diem scimus neque horam.
7. *Medium* denique universalissimum est exercitium *divinæ præsentiæ*, quod etiam S. Benedictus consulit s. Reg. c. 7., gr. 1.

ARTICULUS SECUNDUS.

De Humilitate.

§ 1. De Notione Humilitatis.

Humilitas alia *cognitionis*, alia *affectionis* est, illa ad intellectum pertinet, hæc ad voluntatem.

Humilitas cognitionis est cognitio suæ omnimodæ a Deo dependentiæ et infirmitatis, coram Deo et hominibus actibus tum internis tum externis expressa.

Nos utrumque conjungimus et sic definimus. Humilitas est virtus moralis, qua homo verissima omnimodæ suæ a Deo dependentiæ et infirmitatis cognitione sibi ipsi vilescit et ab aliis hominibus se parvipendi sinit imo gaudet.

Itaque humilitas non in eo consistit, ut bona a Deo nobis concessa nesciamus, sed ut, quidquid accepimus, divinæ benignitati adscribamus. Quid autem habes, quod non accepisti? Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non acceperis (I. Cor. 4, 7.)?

§ 2. De Necessitate Humilitatis.

1. Christus Apostolis de principatu contendentibus dixit: Nisi conversi fueritis, et efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum. Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cœlorum (Matth. 18, 3. 4.);
2. communis est Ss. Patrum sententia humilitatem esse fundamentum totius christianæ perfectionis. *Fundamentum sanctitatis semper fuit humilitas nec in cœlo stare potuit superba sublimitas* (S. Cyprianus, in Nativ. Domini). *Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis* (D. August. de verb. Dom. serm. 10.). *Qui sine humilitate virtutes congregat, quasi in ventum pulverem portat* (D. Greg. super psalm. pœnitent.);
3. non datur virtus supernaturalis, nisi gratia divina nos prævenerit et comitari pergat; atqui Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam (Jac. 4, 6.); unde sine humilitate virtus neque acquiri neque acquisita conservari potest;
4. nos Benedictini promittimus obedientiam secundum regulam S. Benedicti, atqui in hac nihil magis commendatur, quam vera humilitas; duodecim gradibus humili-

tatis, quos cap. 7. statuit, ascensis, ad perfectam caritatem, ad quam Religiosi omnes tendere debent, pervenitur;

5. necessitatem hanc ostendit ipsa ratio ex consideratione naturæ nostræ a Deo omnino dependentis, infirmæ, peccatis inquinatæ.

§ 3. De ceteris Motivis persuadentibus veram Humilitatem.

1. Exemplum Christi et Sanctorum. **Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde** (Matth. 11, 29.). Post lotionem pedum Christus dixit: **Exemplum dedi vobis** etc. (Joh. 13, 15.). *Sed frustra sumus Christiani*, ait D. Bernardus, *si Christum non sequimur;*
2. Deo et hominibus nos reddit acceptos: **Excelsus Dominus, et humilia respicit; et alta a longe cognoscit** (Ps. 137, 6.);
3. **qui autem se exaltaverit, humiliabitur: et qui se humiliaverit, exaltabitur** (Matth. 23, 12.);
4. humilitatem consequitur pax et tranquillitas animi; sicut superbia potissima causa confusionis et inordinatæ tristitiæ est: **Discite a me, quia mitis sum, et humilis corde: et invenietis requiem animabus vestris** (Matth. 11, 29.). Quodsi in mundo pax est, hanc certe possidet humilis cordis homo (Imit. Christi.).

§ 4. De Praxi veræ Humilitatis.

A. Erga Deum.

1. Profundissime se humiliare coram immensa majestate divina in visitatione Sanctissimi, cum divino officio assistimus, in meditatione etc.;
2. ob sua peccata indignum se reputare omni favore, consolatione, exauditione etc., hic actus utillissime exercetur tempore desolationis et afflictionis. Dicamus cum

Davido: **Cognovi Domine quia æquitas judicia tua et in veritate tua humiliasti me** (Ps. 118, 75.);

3. sibi ipsi in omnibus diffidere, et in solo Dei auxilio confidere;
4. in nulla re propriam honorem, sed Dei beneplacitum et majorem Dei gloriam quærere et intendere;
5. bona, quæ habemus, ingenii dotes, successum in operibus, Dei gratiæ tribuere.

B. Erga Proximum.

1. In omnibus se inferiorem reputare; et merito, nam si Deus aliis tot gratias contulisset, quot nobis, forte longe meliores essent, quam nos; si nos in talibus occasionibus et tentationibus fuissemus, in quibus alii fuerunt, forte pejores ipsis essemus; ergo si tam mali non sumus, quam alii, Dei miserentis est;
2. officiis honorificis indignum se putare eaque quantum salva obedientia et caritate fieri potest, fugere;
3. officia humiliora sponte eligere et alacriter peragere;
4. humiliter et patienter pati, si alii nos parvi pendant, defectus nostros irrideant, propalent, ab officio aliquo honorifico directe vel indirecte nos arceant; si aliorum virtutes, opera etc. laudantur, de nobis alte siletur; si alii nos adversantur, nostram conversationem et præsentiam fugiunt; si aliis meliora, nobis ubique viliora et deteriora assignantur; si humanitatis et urbanitatis signa, aliis comiter exhiberi solita, nobis denegantur;
5. si coram aliis erramus, vel aliquid committimus, ex quo confusio nostri oritur, dolere quidem, quod Deum et proximum offendimus, simul tamen interne lætari, quod superbia nostra humiliata sit: **Bonum mihi quia humiliasti me** (Ps. 118, 71.). Defectus minime excusare, potius incusare;
6. defectus naturales, ingenii tarditatem, parentum inopiam, non erubescere;

7. non quærere familiaritatem cum personis altioris dignitatis.

§ 5. De Criteriis Humilitatis spuriæ.

Est qui nequitur humiliat se (Eccli. 19, 23.). De hujusmodi hominibus D. Ambrosius ait: *Multi habent humilitatis speciem, sed virtutem non habent, multi eam foris prætendunt et intus impugnant.*

Signa hujus fictæ Humilitatis sunt:

1. Coram aliis se peccatorem, idiotam etc. prædicare et ægre ferre, imo indignari, si alii idem de nobis dicant, vel ut tales nos condemnant. Sic sæpe Deo mentimur in meditationibus, orationibus nos humiliando sed prima humiliationis occasione oblata indignamur;
2. demissis oculis, inclinato capite incedere, leniter loqui, quamdiu omnia bene succedunt, sed irasci, resistere, cum ab aliis offendimur. Tange montes et fumigabunt (Ps. 143, 5.);
3. ea negotia, res etc. abhorrere, quæ ab hominibus non considerantur, vel ex quibus humiliatio et confusio oritur, nullus successus expectatur; contra vero officia publica et honorifica appetere;
4. tristari vel ægre ferre, si ab aliis res præclare geruntur;
5. propter defectus publicos valde turbari, de occultis vix leviter tangi.

ARTICULUS TERTIUS.

De perfecta Conformitate voluntatis nostræ cum voluntate divina.

§ 1. De Notione hujus virtutis.

Hæc conformitas est virtus, qua homo infinita Dei omnipotentia sapientia et bonitate confisus suam voluntatem

cum sanctissima Dei voluntate perfecte unit, ita ut id omne et solum velit vel nolit, agat vel omittat vel patiatur, quod Deus vult, quomodo et quia Deus vult.

§ 2. De Excellentia et Necessitate hujus virtutis.

Hæc conformitas hominem ad intimam cum Deo unionem et amicitiam promovet, ideoque caritatem, quæ in unione consistit, maxime perficit; in caritate autem, ut supra diximus, perfectio hominis consistit. *Multo propinquiores Deo sunt*, ait S. Chrysostomus, *qui voluntatem Ejus faciunt, quam qui summa carnis necessitate junguntur* (hom. 45 in Matth.). Comprobavit id Christus, quum nuntianti ipsi: **Ecce mater tua et fratres tui foris stant quærentes te**, respondit: **Quicunque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlis est: ipse meus frater, et soror, et mater est** (Matth. 12, 47.). Hæc conformitas est criterium certissimum amoris Dei. **Qui habet mandata mea, et servat ea: ille est, qui diligit me** (Joan. 14, 21.). Hæc conformitas unica actionum regula Christo fuit. **Meus cibus est ut faciam voluntatem ejus, qui misit me** (Joan. 4, 34.)

Necessitas hujus conformitatis facile patet; ad nutum divinæ providentiæ et sapientiæ sese subjiciunt creaturæ quævis inanimes et irrationales; numquid solus homo ratione præditus collum servituti subtrahat? Titulo creationis, redemptionis, sanctificationis, imo liberæ electionis Deus absolutus dominus est; ideoque voluntatem nostram ejus voluntati sanctissimæ conformemus oportet. Caritas sine hac conformitate voluntatis consistere non potest. *Idem velle atque idem nolle ea demum firma amicitia est* (Salust. Catil. 20.). Amor similes aut invenit aut facit.

§ 3. Motiva ad hanc Conformitatem comparandam.

1. Afflictiones quævis sive corporis sive animi, sive per naturæ vires sive per malitiam hominum accidentes a

voluntate Dei vel positive decernente vel justis de causis permittente et sapientissime ad salutem nostram universa ordinante proveniunt: **Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit?** (Amos 3, 6.) **Bona et mala, vita et mors, paupertas et honestas a Deo sunt** (Eccli. 11, 14.);

2. etiam ad minimum Dei providentia se extendit. **Et capillus de capite vestro non peribit** (Luc. 21, 18.);
3. adversitates quascunque ad nostram utilitatem Deus dirigit, nempe:
   α) ut pro peccatis in hac vita satisfaciamus;
   β) ut ab inordinato amore creaturarum nos retrahat;
   γ) ut a peccatis nos præservet;
   δ) ut virtus probetur et perficiatur;
   ε) ut merita et gloria major acquirantur: **Non sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis** (Rom. 8, 18.). Confirmatur Sanctorum exemplis et propria cujusvis experientia. Hinc adversitates signa sunt divini erga nos amoris. **Ego quos amo arguo, et castigo** (Apoc. 3, 19.): Job, Joseph, Tobias;
4. Deus homini non majores immittit ærumnas, quam quibus cum divina gratia ferendis par est. **Fidelis enim est Deus, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere** (I. Cor. 10, 13.).

Fructus hujus conformitatis sunt præter supra recensitos nobilissimi;

1. Præcaventur peccata plurima, quæ ex impatientia et desperatione consequi solent;
2. adversitates minus graves evadunt et cavetur illa inor-

dinata tristitia, quæ semper torquet magis quam malum ipsum quod patimur;

3. animi tranquillitas;
4. signum prædestinationis: Hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi: si tamen compatimur, ut et conglorificemur (Rom. 8, 17.). Quos præscivit, et prædestinavit conformes fieri imaginis filii sui (Rom. 8, 29.).

§ 4. De Praxi et Gradibus hujus Conformitatis.

1. Sæpe considerare, nihil fieri sine voluntate Dei, et Quod diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum (Rom. 8, 28.);
2. nihil agere sine prævia consideratione quæ sit voluntas Dei;
3. de futuris non esse anxie sollicitum, præcipue in negotiis commissis;
4. tempore adversitatis implorare quidem divinum auxilium, sed cum perfecta sui resignatione secundum Christi exemplum;
5. ex vera conformitate cum voluntate Dei indifferentem esse ad omnia officia et negotia committenda.

Gradus hujus conformitatis sunt:

1. Ut sine externo signo impatientiæ nos subjiciamus; quo major vis adhibenda, quo plures difficultates superandæ sunt, eo gloriosior est victoria;
2. ut sine interna repugnantia et animi perturbatione nos subjiciamus. *Ubi amatur, non laboratur* (S. Aug.);
3. ut cum gaudio et animi exultatione nos subjiciamus Dei voluntati etiam in maximis tribulationibus, imo eas ardenter desideremus: *Amplius! Domine!* exclamabat S. Franciscus Xaverius.

ARTICULUS QUARTUS.

De virili in bono Perseverantia.

Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit (Matth. 10, 22.). **Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei** (Luc. 9, 62.). *Non est magnum bonum, inchoare quod bonum est, sed consumare, hoc solum perfectum est* (D. Aug. serm. 8.). Axioma erat Berchmanni e S. J.: *Parum sed constanter.* Hæc perseverantia præcipue junioribus Religiosis commendanda est, ne pravis aliorum exemplis seducantur. S. Regula et Statuta, item Christi et Sanctorum exempla sint norma, ad quam vitam instituere debemns. *Diabolus*, ait S. Bernard, *soli perseverantiæ invidet, utpote quam solam novit a Domino coronari; hinc proposita nostra sancta infirmare nititur et perseverantiam in bono labefactare.* Hoc efficit:

1. Neglectu exercitiorum spiritualium;
2. pusillanimitate et horore difficultatum;
3. dissolutorum laxe vivendi ratione;
4. nimia exteriorum occupatione;
5. vehementibus tentationibus;
6. illusionibus et indiscreto fervore;
7. nimia de se suisque viribus præsumptione;
8. defectu vigilantiæ et neglectu minimorum. Contraria vero contrariis curantur.

ARTICULUS QUINTUS.

Brevis conspectus aliquarum aliarum Virtutum ad Viam illuminativam pertinentium.

§ 1. De virtute Religionis.

Per virtutem Religionis, quæ inter ceteras virtutes morales præstantissima est, intelligimus illam, qua Deo, tamquam nostro Creatori ac Domino cultum debitum exhibemus. Cum spiritu et corpore homo constet, et utriusque principium sit Deus, etiam actibus internis externisque nostram erga Deum exhibeamus reverentiam. Virtus Religionis inprimis Religiosis propria est, utpote qui a Religione Religiosi nuncupantur.

Actus hujus virtutis sunt:

1. Adoratio, quæ est contestatio summæ et absolutæ excellentiæ Dei atque omnimodæ dependentiæ nostræ ab ipso. Vocatur adoratio cultus latriæ et soli Deo debetur;
2. oratio, tum mentalis tum vocalis. Huc spectat psalmodia sacra, ad quam non solum titulo Religionis, sed etiam titulo fundationis Religiosi specialiter obligantur;
3. sacrificium, quod consistit in oblatione rei sensibilis facta a legitimo ministro ad contestandum supremum dominium Dei cum aliqua rei oblatæ vel immutatione vel destructione;
4. devotio, quæ sita est in pia quadam promptitudine et inclinatione ad ea omnia, quæ Dei cultum et honorem attinent.

§ 2. De virtute Prudentiæ prima inter virtutes cardinales.

Prudentia, vel ut alii dicunt, discretio, est virtus intellectus, monstrans quid in omni actu singulari ad recte

operandum fieri aut omitti debeat, unde actionum moralium directrix vocatur. *Est ergo discretio non tam virtus quam moderatrix et auriga virtutum. Tolle hanc et virtus vitium erit* (D. Bern. serm. 49. in Cant.).

Peccatur contra prudentiam:

1. Per *defectum:*

α) Præcipitatione, ut contingit iis, qui passiones suas domare nondum didicerunt;

β) inconsideratione, qui ex pigritia vel inordinato affectu de negotii suscepti natura, circumstantiis, mediis, difficultatibus non cogitant;

γ) inconstantia (vel contra pertinacia), si sine sufficiente ratione mutatur consilium et propositum ex tædio, vano timore etc;

δ) negligentia, si intellectus vires suas non exercet omnes.

2. Per *excessum:*

α) Prudentia carnis, quæ nonnisi terrena vel fines omnino turpes prosequitur, vel media inhonesta adhibet, de qua Rom. 8, 6.: **Prudentia carnis, mors est: prudentia autem spiritus, vita, et pax; quoniam sapientia carnis inimica est Deo: legi enim Dei non est subjecta, neque enim potest;**

β) astutia, quæ iniqua solet excogitare media ad decipiendum subdole proximum; ordinarie includit pessimam artem simulandi et dissimulandi. **Væ duplici corde** (Eccli. 2, 14.);

γ) nimia sollicitudine et anxietate in rebus omnibus sive ad salutem animæ sive corporis necessariis. **Martha, Martha, sollicita es, et turbaris erga plurima. Porro unum est necessarium** (Luc. 10, 11.). Etiam quoad animæ salutem peccatur nimia anxietate, ut patet in scrupulosis.

De religiosa Simplicitate.

Non intelligimus hic per simplicitatem quandam ingenii hebetudinem et defectum prudentiæ, sed virtutem qua quis sine dolo, simulatione, adulatione, se verbis talem exterius exhibet, qualis revera est; et ita cum sinceritate convenit. Simplicitas hæc Deo et hominibus gratos nos reddit. **Cum simplicibus sermocinatio ejus** (Prov. 3, 32.). **Scio Deus meus, quod probes corda et simplicitatem diligas** (I. Paral. 29, 17.). Sine hac virtute monasteria essent insidiatorum latibula, hypocritarum et deceptorum congregatio.

Quare:

1. Absit in sermone omnis amphibologia, restrictio præcipue mere mentalis;
2. neminem captiose interrogemus, ita ut proximus sincere respondens, verbis capiatur, secretum eliciatur;
3. neminem præsentem laudemus eique adulemur, absentem contemnamus;
4. ne coram alio amici tui inimico te pariter inimicum simules contra eum murmurando eo fine, ut quid alter dicat et obloquatur, amico tuo referre valeas;
5. nemini præsenti auxilium e. g. in munere consequendo promitte, ita ut deinde secrete impedias;
6. ne aliis placere cupiens, eorum opinionibus in omnibus assentiaris.

§ 4. De religiosa Mansuetudine.

Mansuetudo est virtus moralis, quæ secundum rectam rationem iras moderatur, scilicet ne levibus ex causis, ne nimis vehementer, ne ex passione aliqua prava irascamur. Quare mansuetudo non omnem indignationem excludit, sed eam ad rectam rationem refrænat. *Si enim*, ait S. Gregorius, *sic proximos ut nos amare præcipimur, restat, ut sic eorum erratibus sicut nostris vitiis irascamur* (Moral. l. 5, c. 30.). Heli. Christus. Patet hujus necessitas ex eo:

1. Quod immediate opponitur iracundiæ sæpe subito excandescenti, quæ quanta mala et sæpe scandala publica etiam in communitatibus religiosis excitet, experientia docet; nam etiam Religiosis sæpe accidunt, quæ jam inclinationi propriæ, jam opinioni privatæ, jam expectationi et desiderio ardenti adversantur, quæ sunt iracundiæ incitamenta frequentia;

2. ad amplectendam ergo mansuetudinem, ejus necessitas nos moveat, sed etiam ejus utilitas. Facit enim nos Deo et hominibus acceptos. **Fili in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris** (Eccli. 3. 19.). **Humilium et mansuetorum semper tibi placuit deprecatio** (Judith 9, 16.). Alterum mansuetudinis emolumentum est pax et tranquillitas animi. **Mansueti delectabuntur in multitudine pacis** (Ps. 36, 11.). **Discite a me** etc. (Matth. 11, 29.). *Nihil animum ita in tranquillitate et quiete esse facit, ut mansuetudo et modestia.* S. Chrysostomus (homil. 33 in Genes.). Imo et alios pacatos reddit: **Responsio mollis frangit iram** (Proverb. 15, 1.);

3. utilissima, imo necessaria est superioribus, Religiosis ad curam animarum vel erudiendam juventutem destinatis. **Fratres, et si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, hujusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris** (Galat. 6, 1.).

S. Laurentius Just. serio hortatur rectores animarum, ut mentem habeant a passionibus liberam, et corripiendos ut pater arguant, alioquin, ait: *Vulnus superadditur vulneri, et passioni passio cumulatur.* Sed cavendum etiam a vitio opposito: nimia indulgentia, ex timiditate, respectu humano, partium studio vel alia inordinata affectione proveniente. Observetur quod S. Benedictus Abbatibus præscribit: *Miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta*, etc. (c. 2.).

Subsidia ad hanc virtutem acquirendam in diss. de via illuminativa c. 1, § 3. generatim indigitata sunt; specialem modum mansuetudinis conservandæ insinuat S. Gregorius: *Cum alienos excessus aspicimus, nostra quibus in alio excedimus delicta cogitemus. Considerata quippe infirmitas propria, mala nobis excusat aliena* (Moral. l. 5, c. 20.).

Actus mansuetudinis:

1. Subito et inadvertenter excitatum indignationis motum verbo vel signo non prodere;
2. amaras cogitationes de afflictionibus vel injuriis præsentibus vel præteritis non ruminari, potius mentem alio divertere et imaginationem coercere;
3. non præcipitanter vel nimis fervide agere, vel loqui, sed pacate;
4. etiam infimos modeste et humaniter alloqui, aures eorum petitionibus vel interrogationibus præbere, licet negotia urgeant, difficultates et molestiæ occurrant;
5. cum nullo verbis contendere sed rationibus placite expositis cedere et acquiescere;
6. nullum erroris, mendacii, inscitiæ arguere, sed errorem dissimulare vel modeste alterum monere;
7. pacem inter confratres conservare vel læsam restituere.

§ 5. De religiosa Amicitia et Affabilitate.

Per religiosam amicitiam hic mutuam inter confratres dilectionem intelligo. Quæ quantæ sit necessitatis ex sexcentis S. Scripturæ locis patet: Joan. 13, 35; 14, 21 etc. Hæc necessitas maxime urget Religiosos, qui non per baptismum tantum fratres sunt, sed etiam per eandem professionem religiosam arctissimo quodam propinquitatis vinculo conjuncti sunt. Sine mutua hac dilectione monasteria speluncæ essent latronum. Mutua hæc dilectio valde juvatur affabilitate, seu suaviter et modeste cum aliis colloquendi promptitudine. Affabilitati opponitur morositas, cum ex

indole quadam melancholica vel ex affectu quodam inordinato aliorum colloquium fugimus vel verbis paucis iisque asperis respondemus. Hujusmodi homines indolem quidem non avertere, sed per continuum virtutis contrariæ exercitium emendare possunt et debent, nisi sibi et aliis gravi oneri esse velint.

Amicitia seu dilectio fraterna supernaturalis et universalis sit oportet; hinc amicitia spuria est inter Religiosos amicitia particularis, quam propterea nonnisi inter tepidos, otiosos, male contentos, discolos homines intercedere videmus. Suspiciones, murmurationes, detractiones, factiones, dissidia pessimi sunt amicitiarum particularium effectus. Ne sub specie veræ amicitiæ turpiter decipiamur, signa spuriæ hujus amicitiæ indicabimus:

1. Vitio laborant pravæ familiaritatis, qui loco secreto, tempore prohibito passim conveniunt;
2. qui convenientes jam contra confratres, jam contra superiores suspiciones suas, molestias acceptas, murmurationes contra illorum ordinationes vel agendi modum sibi communicant;
3. qui ab aliis audita amicis suis referunt, unde odium et discordia excitantur, pax turbatur. Susurrones tales pestis sunt communitatis;
4. qui ceterorum confratrum conversationem fugiunt, pauca cum iis loquuntur, contra vero cum amico frequenter diu et cum voluptate colloquuntur.

DISSERTATIO III.

De Via unitiva.

Sicut in via purgativa nobis dicitur: declina a malo, et in via illuminativa: fac bonum, ita in via unitiva dicitur: Et inhabita in sæculum sæculi (Ps. 36, 27.). Finis enim hominis est habitare cum Deo seu unio cum Deo. In via purgativa removentur obstacula ad hujusmodi unionem,

nempe peccata, vitia, pravi habitus etc. In via illuminativa adhibentur media quæ animam recte disponunt ad hujusmodi unionem, virtutes etc. In via denique unitiva jam hac in vita anima incipit frui caritativa unione cum Deo juxta illud: **Qui autem adhæret Domino, unus spiritus est** (I. Cor. 6, 17.).

CAPUT I.

De Unione Memoriæ cum Deo.

§ 1. De Notione Unionis Memoriæ cum Deo.

Hæc unio consistit in jugi quadam et affectuosa divinæ præsentiæ recordatione, quam recordationem omnes vitæ spiritualis magistri tamquam medium ad intimam cum Deo unionem per caritatem præstantissimum commendant.

Exercitium præsentiæ Dei tria requirit:

1. Actualem et frequentem recordationem Dei præsentis non per repræsentationem speciei alicujus corporalis, quod caput fatigat et illusionibus aditum præbet, sed per simplicem actum fidei Deum intime nobis esse præsentem;
2. actus voluntatis seu potius affectus huic recordationi convenientes pro varietate perfectionum, quas in Deo intime nobis præsente cogitamus, ut adorationis, si immensæ ejus majestatis, coram qua angeli contremiscunt, recordamur; confidentiæ, si ipsius bonitatem infinitam, gratitudinis, si ejus beneficentiam summam etc. perpendimus. Quæ varietas affectuum exercitium illud suave reddit, et tædium animæ arcet;

3. actiones istiusmodi affectibus conformes, qui sunt finis hujus exercitii principalis, ut nimirum intuitu Dei intime nobis præsentis, et cogitationes, verba et actiones omnes nostras attente considerantis, perfecte agamus quidquid agimus.

§ 2. Emolumenta hujus exercitii.

Hoc exercitium efficit:

1. Ut tentationes facilius vincamus, tum pravas cogitationes submovendo, tum salutarem timorem incutiendo, tum Dei auxilium comparando. Sic Susanna gravissimas illusit innocentiæ insidias dicens: **Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini** (Dan. 13, 23.). Contra vero: **Non est Deus in conspectu ejus: inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore** (Ps. 10, 5.);
2. ut perfectionem assequamur: **Ambula coram me, et esto perfectus** (Gen. 17, 1.), Deus Abrahamo dicit. Ratio est, quia hoc exercitium movet hominem, ut opera sua quotidiana intentione pura et perfecte peragat;
3. ut semper oremus, juxta illud Christi effatum: **Oportet semper orare et non deficere** (Luc. 18, 1.);
4. ut magnam cum Deo familiaritatem, pacem et consolationem consequamur: *Frequens illi visitatio cum homine interno, dulcis sermocinatio, grata consolatio, multa pax, familiaritas stupenda nimis* (Imitat.). **Renuit consolari anima mea, memor fui Dei, et delectatus sum** (Ps. 76, 4.);
5. ut angelos et sanctos imitemur, qui Deum intuentur, et hac intuitione in ejus amorem rapiuntur; ut angeli etiam in terris degentes cœlum secum circumferunt, divinam majestatem ubique contemplantes, sic etiam interni hujusmodi homines qualibuscunque negotiis occupati vel tribulationibus affecti pace ac consolatione fruuntur inenarrabili.

§ 3. De Mediis et Praxi hujus exercitii.

Media in hunc finem certe efficacissima præscribit Imitat. Chr. (l. 1. c. 20.).

1. Custodiam cellæ; *Si vis corde tenus compungi, intra cubile tuum et exclude tumultus mundi, sicut scriptum est:* In cubilibus vestris compungimini (Ps. 4, 5.). *In cella invenies quod de foris sæpe amittes. Cella continuata dulcescit et male custodita tædium generat* etc.;
2. curam silentii: *In silentio et quiete proficit anima devota, et discit abscondita Scripturarum, ibi invenit fluenta lacrymarum* etc.;
3. fuga nuntiorum, rumorum etc. *Si non exiisses nec quidquam de rumoribus audiisses, melius in bona pace permansisses. Ex quo nova delectat aliquando audire, oportet te exinde turbationem cordis tolerare* (Imit. l. 1. c. 20.);
4. cautionem in negotiis, ne nimis multis, alienis vel minus necessariis impliceris. *Internus homo sui ipsius curam omnibus curis anteponit, et qui sibi ipsi diligenter intendit, faciliter de aliis tacet* (Imit. l. 2. c. 5.). His adde:
5. humilem orationem;
6. constantiam in exercitio præsentiæ Dei;
7. mortificationem passionum inordinatarum: Ubi enim thesaurus vester est, ibi et cor vestrum erit (Luc. 12, 34.). Beati mundo corde: quoniam ipsi Deum videbunt (Matth. 5, 8.). Recordemur ergo Dei intime nobis præsentis in principio orationis, negotiorum, ad sonum horologii, tentatione insurgente, quum aspicimus Christi imaginem vel ex intuitu creaturæ cujuslibet obviæ. Recordationi huic affectus seu preces jaculatorias sive ex S. Scriptura desumptas, sive a nobis compositas et perfectionis nostræ gradui vel peculiaribus necessitatibus respondentes conjungamus, iisque Deum velut

amicum præsentem alloquamur. Caveamus, ne unquam nos cogamus ad percipiendam hac occasione devotionem aliquam sensibilem, sed ad opera nostra quotidiana perfectius exequenda exercitium hoc dirigamus.

CAPUT II.

De Unione Intellectus per Fidem.

§ 1. De Notione Fidei.

Fides divina est virtus theologica a Deo infusa, qua veritatibus a Deo revelatis et ab Ecclesia propositis propter summam Dei auctoritatem firmissime assentimur. Quodsi hæc fides cum caritate Dei (cum statu gratiæ sanctificantis) conjungitur, seu si correspondeant opera fidei, fides viva dicitur, secus mortua est. Sicut enim corpus sine spiritu mortuum est, ita fides sine operibus mortua est (Jac. 2, 26.). Tu credis quoniam unus est Deus: Bene facis: et dæmones credunt, et contremiscunt (ib. 2, 19.). *Vera fides*, ait S. Gregorius M., *est, quæ hoc, quod verbis dicit, moribus non contradicit* (hom. 36 in Ev.). Hæc est recta fidei mensura, frequenter eam applica.

§ 2. De Necessitate Fidei.

Qui crediderit, et baptizatus fuerit, salvus erit: qui vero non crediderit, condemnabitur (Marc. 16, 16.). Sine fide autem impossibile est placere Deo. Credere enim oportet accedentem ad Deum quia est, et inquirentibus se remunerator sit (Hebr. 11, 6.). Fides hæc firmissima sit oportet et universalis. *In multis sunt mecum*, ait D. Augustinus ad Donat., *in paucis non sunt mecum, non prosunt illis multa.* Hanc autem fidem vivam seu caritati et

bonis operibus conjunctam esse debere ex dictis §§ præced. et Jac. c. 2., patet.

§ 3. Impedimenta hujus Fidei vivae praecipua:

1. Negligentia in exercitiis spiritualibus, per quæ quasi per canales divinæ gratiæ ac supernæ illustrationes derivari deberent; quæ enim ex consuetudine legimus vel meditamur, animam non feriunt;
2. defectus bonæ voluntatis; timemus agnoscere malum, quod corrigere non libet; hinc nulla media efficacia adhibentur, prava vivendi ratio sophisticis rationibus excusatur, imo defenditur;
3. superbia; huc conveniunt verba Apostoli: Cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt . . . . propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum etc. (Rom. 1, 21.). Exemplo sunt omnes heresiarchæ et apostatæ;
4. curiositas intellectus, lectio schediasmatum polemicorum, librorum hæreticorum vel prohibitorum; hinc talia legere Ecclesia sapienter prohibet;
5. conversatio frequens et incauta cum hominibus hæreticis pseudo-illuminatis, scepticis, indifferentistis. Ideo S. Joannes, qui caritatem verbo et exemplo docuit, ita scribit: Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis (II. 10.). Ex his etiam intelligitur, quæ media sint adhibenda ad fidem perficiendam, nempe media e diametro opposita; contraria enim contrariis curantur.

CAPUT III.

De Unione Voluntatis per Caritatem.

§ 1. De Notione Caritatis unitivæ.

Deus duplici modo uniri solet animæ justi; nemper per unionem habitualem ac permanentem, deinde per unionem actualem eamque vel mobilem et imperfectam vel radicatam et perfectam. Unio habitualis consistit in ipsa gratia sanctificante seu caritate illa, quæ cum aliis virtutibus supernaturalibus in justificatione homini infunditur, quæ proinde in quovis justo utut imperfecto etiam in infantibus baptizatis habetur. Unio actualis ea est, qua Deus hominem justum movet ad actus procedentes a caritate aliisque virtutibus caritatem comitantibus, quibus actibus homo suam ergo Deum caritatem exercet, et quidem mobilem et imperfectam, si actus hi sæpe interrupti et peccatis corrupti sunt, stabilem vero et perfectam, si secus accidit. Unio actualis perfecta seu caritas unitiva perfecta efficit, ut homo Deo firmiter adhæreat per actus tum elicitos tum imperatos, ut nullo non tempore omnes vires tum animi tum corporis colligat et ad Deum dirigat, ut homo inferior superiori, homo superior Deo perfecte subjiciatur.

§ 2. De Proprietatibus Caritatis unitivæ.

1. Nihil sibi reservat, *nam amicorum omnia sunt communia*, ut fert adagium, proprio judicio renuntiat, voluntatem propriam abnegat; solum divini sponsi beneplacitum est omnium actionum et desideriorum meta;
2. fidelis est in rebus minimis, etiam imperfectiones minimas, nedum peccata, studiosissime devitat;
3. zelo gloriæ Dei propagandæ ardet, ut Deus ab omnibus ametur optat, de ejus offensione tristatur;

4. sæpissime de Deo cogitat, imo in hac cogitatione quasi absorpta est: **Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum** (Matth. 6, 21.);
5. Christum perfecte in omnibus imitari studet;
6. in virtutum et actuum heroicorum exercitio nullam difficultatem, imo jucunditatem magnam sentit.

§ 3. De Subsidiis ad Caritatem unitivam consequendam.

1. Exercitium divinæ præsentiæ (v. supra);
2. oratio mentalis;
3. omne genus tribulationum; aurum igne purificatur;
4. ut opera quotidiana et ordinaria, quæ ratione status nostri nobis incumbunt, perfecte, præsertim cum intentione supernaturali, peragamus, deinde ad opera supererogatoria et extraordinaria, sed non sine consilio patris spiritualis, progrediamur;
5. ut cœpta vivendi ratione constantes simus: **Itaque fratres mei dilecti, stabiles estote, et immobiles; abundantes in opere Domini semper, scientes quod labor vester non est inanis in Domino** (I. Cor. 15, 58.).



PARS QUINTA.

De Votis Religionis.

Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitæ (I. Joan. 2, 16.), i. e. immoderata quædam propensio ad corporis voluptates, ad divitias et ad honores, quæ quantum hominem a via virtutis et perfectionis avertant, experientia constat. Triplici huic impedimento opponitur votum *castitatis*, votum *paupertatis* et votum *obedientiæ*, unde hæc tria vota ad essentiam status religiosi, cujus finis hominis perfectio est, pertinere intelligitur.

CAPUT I.

De voto Paupertatis religiosæ.

§ 1. De Notione Paupertatis religiosæ.

Votum solemne paupertatis religiosæ est voluntaria renuntiatio, qua quis in religione aliqua approbata omnium prorsus rerum temporalium jure et proprietate ob amorem

Dei et desiderium perfectionis re et affectu et cum gravi obligatione in perpetuum se privat. Dicitur:

1. *In religione aliqua approbata*, ut distinguatur a voto paupertatis, quod etiam in sæculo emitti posset, ut probabiliter a primis christianis Hierosolymis factum est;
2. *jure et proprietate;* in voto simplici renuntiatur omni usui proprietario, non ipsi proprietati seu dominio;
3. *ob amorem Dei* etc.; hoc est motivum voti paupertatis; etiam ethnici philosophi divitias contempserunt, sed aliis ex motivis;
4. *re et affectu;* meritum paupertatis religiosæ non tam ex qualitate rei temporalis, quam ex affectus intensione, qua relinquitur, mensurari debet. *Totum enim mundum dimittit, qui et illud, quod habet, et quod habere optat, dimittit* (D. Aug. epist. 89 ad Hilar.); et hæc est paupertas spiritus, quam Christus adeo commendat (Matth. 5, 3.);
5. *in perpetuum*, tum ex parte voventis, tum ex parte religionis acceptantis, et per hoc distinguitur a voto simplici.

§ 2. De Excellentia religiosæ hujus Paupertatis.

Non exigua hujus paupertatis laus est, quod inter ceteras beatitudines principem locum tenet: Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum (Matth. 5, 3.). Juveni illi Jesus dixit: Si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes, et da pauperibus, et habebis thesaurum in cœlo: et veni, et sequere me (Matth. 19, 21.). Potestne securior via ad evangelicam perfectionem cogitari illa, qua Christus incedit et Apostoli et primi fideles. Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, et habebant omnia communia. Possessiones et substantias vendebant et dividebant illa omnibus prout cuique opus erat (Act. 2, 44.). Hinc mirum non est, quod nullo non tempore Ss. Patres et religiosorum ordinum fundatores votum pauper-

tatis ut necessarium et firmissimum religionis fundamentum commendaverint et inculcaverint. Et sane, quum plurima peccata (superbia, ambitio, ebrietas, avaritia, incontinentia etc.) ab hominibus non committantur, nisi ope pecuniæ, facultatem peccandi quodammodo tollit votum paupertatis. Propterea paupertas spiritus hominem a cura et amore rerum terrenarum avellit, itaque efficit, ut cogitationem, curam et desiderium omne in Deum transferat et quæ sursum sunt sapiat, non quæ super terram (Col. 3, 2.). S. Gregorius scite bona terrestria cum vestibus comparat dicens: *Si vestitus quisquam cum nudo luctatur, citius ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia nisi quædam corporis indumenta? Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, ne succumbat* (hom. 32. in Ev.).

§ 3. De Commodis Paupertatis religiosae.

Commoda hæc tum ad præsentem tum ad futuram vitam pertinent, sicut et centuplum illud, quod Christus promisisse legitur iis, qui reliquerint omnia. Accipient centies tantum, nunc in tempore hoc et in sæculo futuro vitam æternam, (Marc. 10, 30.). Et quidem bona spiritualia in hac vita recipiet: *Qui carnalia dimiserit pro Salvatore, spiritualia recipiet, quæ comparatione et merito sui ita erunt, quasi si parvo numero centenarius numerus comparetur* (S. Hieron. l. 3. in Matth. c. 19.). Pauper spiritu magna fruitur mentis tranquillitate. *Quid paupertate melius, quid securius, quid jucundius? Tristentur omnes, cuncti gemant, formident universi; hæc semper hilaris, hæc semper eodem vultu, eodem animo perseverat. Bonum cœleste præstolatur possidere in cœlo, ideo nihil habet, quod posset amittere in terra* (S. Laurentius Justinianus in ligno vitæ c. 4 de paup.). Conferantur curæ, vigiliæ, molestiæ hominum sæcularium in divitiis comparandis, conservandis et augendis. Etiam quoad bona exteriora centuplum recipiunt Religiosi jam in hac

vita. Convenit enim ipsis quod S. Paulus de se et ceteris Apostolis dicebat: **Tamquam nihil habentes et omnia possidentes** (II. Cor. 6. 10.). Demonstravit id ipsum Cassianus, et ad litteram adimpleri quotidie videmus. *Reliquimus domum unam propter Christum, cujus loco tot alias habemus, quot sunt quæ ad integram pertinent communitatem, cujus membra sumus. Uni patri et matri terga vertimus, et eorum loco tot nobis Deus dat patres, quot superiores sunt, qui majori in nos feruntur amore et jam non de salute corporali tantum sed et animi sunt solliciti. Reliquimus fratres et multos novos in religione invenimus, qui puriore longe et integriore nos amant caritate, et sic cetera simili modo nobis compensantur* (Coll. ult.). Recte D. Bernardus: *Avarus terrena esurit ut mendicus, fidelis contemnit ut dominus; ille possidendo mendicat, hic contemnendo servat* (serm. 3. in Cantica num. 8.). Sed excellentiora sunt commoda vitæ futuræ, quæ vere pauperibus a Deo sunt promissa. **Beati pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cœlorum** (Matth. 5, 3.). *O quanta beatitudo! pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris semper viventia, et habere Deum debitorem* (D. Hieronymus ep. 150.). **Amen dico vobis, quod vos, qui** (relictis omnibus) **secuti estis me, in regeneratione quum sederit filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israel** (Matth. 19, 28.). Quod Ss. Patres de omnibus, qui Apostolos imitati sunt, ut Religiosi, intelligunt et singularem in æterna beatitudine ipsis collatum iri prærogativam existimant.

§ 4. De Obligationibus Paupertatis religiosæ.

Religiosus solemniter professus fit incapax omnis dominii et juris circa bona temporalia tum mobilia, tum immobilia, ita ut præter solum usumfructum seu simplicem usum nihil habeat, quod jure prætendere possit. Nimirum Ecclesia

hanc incapacitatem annexuit solemni voto paupertatis sicut et incapacitatem matrimonii solemni voto castitatis. *Nemini igitur Regularium tam virorum quam mulierum liceat bona immobilia vel mobilia cujuscunque qualitatis fuerint etiam quovis modo ab eis acquisita tamquam propria aut etiam nomine conventus possidere vel tenere; sed statim ea superiori tradantur conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam ad usumfructum vel usum, administrationem aut commendam. Administratio autem bonorum monasteriorum seu conventuum ad solos officiales eorundem, ad nutum superiorum amovibiles, pertineat. Mobilium vero usum ita superiores permittant, ut eorum supellex statui paupertatis, quam professi sunt, conveniat; nihilque superflui in ea sit; nihil etiam, quod sit necessarium eis denegetur. Quodsi quis aliter quidquam tenere deprehensus aut convictus fuerit, is biennio activa et passiva voce privatus sit; atque etiam juxta suæ Regulæ et Ordinis Constitutiones puniatur* (Trid. Sess. 25. c. 2. de Reg. et Mon.). Quod s. Regula nostra de hac re præscribit cap. 33. legendum et animo alte imprimendum est.

Præter constitutiones Summorum Pontificum et Conciliorum gravis hujus voti obligatio ex omnium ordinum regulis patet, quæ gravissimas in proprietarios pœnas statuunt. Incapacitas proprietatis singulos ad Religiosos, non integram communitatem spectat, ut expresse Trident. sess. 25. cap. 3. de Reg. et Mon. declaravit, ubi tantum domus fratrum S. Francisci, Capucinorum et eos, qui Minores de observantia vocantur, excipit, qui bona immobilia possidere non possunt.

Attamen nec integra communitas bonorum temporalium dominium habet absolutum, sed restrictum ad Religiosorum congruam sustentationem et pios usus. Quare bona immobilia vel mobilia pretiosa alienari nequeunt, nisi in commodum Religionis et post beneplacitum Sedis Apo-

stolicæ obtentum. Quodsi dicas, occasione hujus dominii varia oriri impedimenta perfectionis in communitatibus religiosis, v. g. sollicitudinem circa temporalia nimiam, amorem rerum temporalium, distractiones etc. respondeo, sollicitudinem non esse nimiam, quæ est necessaria, quæ insuper ex caritate Dei et proximi oritur, ut servi Dei sustententur; porro paucos tantum afficit. Ceterum negari non debet nimietatem, abusum et vitia irrepere posse, quæ nullibi satis vitari possunt.

Corollaria.

1. Nullus Religiosus potest rem ullam temporalem pretio æstimabilem sine licentia superioris accipere, retinere, absumere, destruere, permutare, commodare, vendere, donare aut ea uti;
2. omnis rei temporalis alienatio, donatio vel quæcunque dispositio a Religioso privato propria voluntate facta ipso jure est irrita et restitutioni obnoxia;
3. Religiosus scienter et sæpius leve quid sine licentia, recipiens, absumens, etc., maximo periculo se exponit peccandi graviter, quia paulatim ad materiam etiam in furto gravem perveniet;
4. Religiosus vi hujus voti ita debet animo esse paratus, ut exui rerum sibi permissarum possessione et usu velit omni tempore, quo superior voluerit; hinc non licet rem abscondere, obmurmurare etc.;
5. rem quamlibet concessam ad unicum usum non potest Religiosus adhibere ad alium usum licet honestum, quia hic usus esset sine licentia. Nec refert, quod sua parsimonia sibi aliquid reservaverit, e. g. esculenta; quidquid acquirit monachus etiam parcius vivendo, ad bona monasterii petinet;
6. tenetur Religiosus diligentiam adhibere in rebus ad usum sibi concessis conservandis. Quodsi res ad con-

sumptionem tribuatur, e. g. vestis etc., tribuitur ei tantum ad consumptionem necessariam;

7. œconomus et administratores bonorum communitatis non possunt dare, impendere, alienare pro libitu, sed solum secundum ordinis regulam et superioris voluntatem, et quatenus ratione muneris eis commissum est;

8. Abbates peccant contra paupertatis votum et justitiam, si bona conventus aliter impendant vel donent, quam ordinis sui regula vel approbata consuetudo vel superiorum prælatorum voluntas eis permittit; nam Abbates non sunt domini sed administratores bonorum communium; imo nec possunt cum consensu conventus bona illa in luxum vel in usus neque necessarios neque religioni utiles impendere;

§ 5. De Dominio quod salva Paupertate sibi reservare possunt Religiosi.

Cum votum paupertatis versetur solum circa jura rerum corporalium et pretio æstimabilium, hinc:

1. Religiosus quilibet retinet dominium famæ; potest ergo sine consensu sed non invito superiore famam suam vindicare. Dixi non invito superiore, quia etiam jura spiritualia subjecta sunt per votum obedientiæ voluntati superioris, quatenus regulæ et disciplinæ conservatio id exigit. Porro potest quidem Religiosus famam suam vindicare, tamen humilitas et perfectio religiosa plerumque contrarium suadent, quin et præcipiunt;

2. retinet jura spiritualia, e. g. jus electionis activæ et passivæ, jus absolvendi;

3. reliquias Sanctorum utpote pretio non æstimabiles, nisi forte theca sit pretiosa, recipere et retinere licet, non item numismata, imagines, rosaria etc. Manuscripta non cadunt sub voto paupertatis secundum communem

opinionem; sed non potest monachus de artefactis ex materia a monasterio concessa libere disponere;

4. actus naturales et supernaturales, e. g. orare, concionari, sacrum facere etc. non comprehenduntur voto paupertatis, sed voto obedientiæ.

§ 6. De Licentia, quæ Religiosum liberat a vitio Proprietatis.

Licentia efficit, ut Religiosus non propria voluntate agat. Hæc licentia est:

1. Expressa, quæ verbis et aliis signis sensibilibus exprimitur;
2. tacita, quæ ex signis quibusdam, ex facto, taciturnitate vel consuetudine non raro colligitur. Quoad superiores valet axioma: *Qui tacet consentire videtur*, dummodo sciat superior et facile dissentire posset;
3. præsumpta, i. e. non temere, sed rationabiliter supposita, quæ, si superior rogaretur, certe daretur.

   Ad quamvis licentiam ut legitima sit requiritur:

   α) Ex parte superioris, ut potestatem ipsius non superet;

   β) ex parte subditi, ut non sit metu, importunis precibus, obreptitie, rationibus falsis allatis, vel subreptitie, rationibus quibusdam necessario afferendis dissimulatis, extorta;

   γ) ex parte rei, ut sit honesta. Cautissime tamen attendendum, ne licentia tacita nimium extendatur.

Licentia enim tacita et generalis in religionibus bene ordinatis non conceditur nisi in rebus levioris momenti et crebro occurrentibus. Consuetudines sæpe sunt veræ corruptelæ, quia sunt disciplinæ regulari noxiæ. Licentia tacita recte colligitur, si unum in altero includitur; sic e. g. qui habet licentiam iter instituendi, hoc ipso licentiam habet ea omnia faciendi, quæ in hunc finem sunt necessaria. Ad licentiam rationabiliter præsumptam non sufficit, quod licentia daretur, si peteretur, (nam sic nunquam vel fere nun-

quam opus esset licentiam petere), neque superior potest concedere, ut eo usque licentia præsumpta extendatur; nam non potest permittere quod disciplinam religiosam everteret. Ad licentiam rationabiliter præsumptam requiritur:

α) Ut superior adiri nequeat vel difficulter tantum;
β) ut res non sit magni momenti;
γ) ut non facile differri possit;
δ) ut moraliter certum sit superiorem rem concessurum fuisse. Quodsi quis ex licentia prudenter præsumpta rem aliquam acquirit, postea tenetur quam primum id fieri potest, superiori indicare, quia non solum rem accipere, sed etiam retinere prohibetur voto paupertatis. Antoine (theolog. moral.) recte asserit non sufficere licentiam debitam, sed quæ prævidetur deneganda, licet indiscrete, quia inferior facile sibi persuaderet licentiam irrationabiliter denegari.

§ 7. De Rebus superfluis.

Superfluum illud dicitur, sine quo quis decenter omnibus circumstantiis consideratis modo statui suo congruo vivere potest. Religiosum non posse retinere superflua ex natura voti paupertatis et ex Trident. supra citato patet. Neque ipse superior validam circa hoc concedere potest licentiam. Si Religiosus dubitet, num res aliqua superflua sit, ea uti potest, si superior vir timoratæ conscientiæ sit. Peccant igitur Religiosi, qui

1. victu et vestitu ordinario non contenti laute tractari volunt, contra superiorum parcitatem clamitant, vina et electuaria clam sibi procurant, cingula serica, habitum ex panno pretioso etc.;
2. in cellis habitant superfluis reculis, cistis, imaginibus, fibulis et pixidibus argenteis, libris eleganter ligatis et variis rebus adventiciis adeo infertis, ut tabernæ mercatoriæ similes sint;

3. integri conventus, maxime prælati, peccant, si monasterii substantia in superflua fastosa ædificia vel similia expenditur.

§ 8. De Gradibus Paupertatis.

Primus gradus est, ut Religiosus neque in affectu neque in effectu rem temporalem tamquam propriam accipiat, possideat, de ea libere disponat vel superfluum aliquid retineat. D. Bernardus (ep. 341) complurium Religiosorum deplorat insipientiam, qui postquam pingues sæpe reliquerunt fortunas, in monasteriis ob inordinatum affectum, quo ineptiis (libellis, imaginibus, cellæ etc.) pueriliter adhærent, gravia paupertati religiosæ vulnera infligunt, et pereunt. *Ad professionem nostram pertinet, paupertatem studio quærere, et non solum facultates, sed etiam ipsas cupiditates e cordibus eradicare* (Euseb. hom. 4 ad monach.). Et merito, quia paupertas religiosa est paupertas spiritus. Patet id etiam ex fine paupertatis religiosæ, qui est, removere impedimenta quævis, quæ nos a Deo avertere possent; sed quid magis a Deo nos avertit, quam inordinatus affectus, quo in creaturas ferimur?

Secundus gradus est, non ea tantum sollicite removere, quæ paupertati quomodocunque contraria sunt, sed etiam incommoda patienter tolerare, quæ a paupertate, dummodo vera sit et non ficta, inseperabilia sunt. *Sunt, qui pauperes esse volunt, eo tamen pacto, ut nihil eis desit* (S. Bern. serm. 4 de Advent.). Quam dolendum, Religiosos in religione, ad quam venire debuissent, ut carnem crucifigentes cum concupiscentiis suis, pro suis et aliorum satisfacerent peccatis, majores sectari delicias et commoditates quam divites sæculares, et quam ipsi in sæculo habuissent! Hæc est illa paupertas, quæ sæcularibus tanto scandalo est.

Tertius gradus est, incommoditates, inopiam, vilitatem non solum patienter tolerare, sed eas etiam studiose sectari

et occasiones earum cum gaudio amplecti, ad literam adimplentes quod s. Regula vult: *Omni vilitate et extremitate contentus sit monachus* (c. 7, gr. 6.). Hæc est pauperta's quam Christus et Apostoli, antiqui monachi et Sancti professi sunt. Huic paupertati centuplum a Christo promissum est, quippe quæ vere omnia relinquat propter amorem Dei; hæc est quæ studiosos sui cultores, utpote immunes ab omni inordinato affectu rei terrenæ, expeditissimos efficit ad perfectionem evangelicam obtinendam.

§ 9. De Exercitio Paupertatis in Vestitu.

1. Contemptis vanitatibus hujus sæculi satage, ut sancta ubique simplicitas et religiositas in vestibus appareat. Ven. Blosius (in spec. Monach.): *Neque vanissimos quosdam fratres*, inquit, *imitatus fueris, quos sui status pudet, impietatis non pudet. Si quando egredi vel ad conspectum sæcularium venire debuerint, vides ad inepta curiosaque ruere, tales et tales vestes, sic et sic aptas induere velle; amictum cum regulari mandato et Patrum ordinationibus convenientem erubescunt, dumque non humiles monachi sed ut delicati venustique aulici prodeunt prodigioso spectaculo, prudentes quidem homines ad mœrorem et indignationem, diabolum vero ad risum et cachinnos provocant, evidenter hac absurditate declarantes, quales intus sint, nempe superbi, molles et vana gloria pleni;*
2. in vestibus quoad formam consuetudinem et conformitatem, quoad materiam vilitatem, quoad numerum paucitatem attende. *Talia debent esse vestimenta servorum Dei, in quibus nihil novitatis, nihil superfluitatis, nihil quod pertinet ad superbiam et vanam gloriam* (S. Bern. serm. 3 ad sor.). Et s. Regula dicit: *De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur monachi; sed quales inveniri possunt in provincia, qua habitant, aut quod vilius comparari potest* (c. 55.). Cavendum

tamen, ne vilitas in immunditiem et sordes degeneret. Ipse S. Benedictus (c. 55.) permittit his, qui peregre proficiscuntur cucullas et tunicas aliquanto his, quæ habere soliti sunt, modice meliores.

§ 10. De Exercitio religiosæ Paupertatis in Victu.

1. Religiosus recogitet continuo se pauperem esse; grato ergo animo accipiat, quæ a superioribus et officialibus fuerint provisa;
2. communibus et ordinariis cibis contentus sit; extraordinaria, delicata et sumptuosa fercula non desideret, nec sibi procuret sive clam sive cum licentia superioris importune extorta; quin imo caveat ne iniquitas mentiatur sibi; nam non raro necessitatem putamus, quæ non est nisi inordinatus carnis appetitus;
3. ne similis sit delicatulis illis, qui, quum in sæculo vix haberent, unde famem sedarent, jam in monasteriis, ubi caro cum concupiscentiis est crucifigenda, de coquorum imperitia, de officialium negligentia, de superiorum avaritia, de aromatum parsimonia, et quod eadem semper redeant fercula, passim conqueruntur. In hos quadrant verba S. Hieronymi ad Nepotianum: *Natus in paupere domo et tugurio rusticano, qui vix milio et cibario pane rugientem saturare ventrem poteram, nunc similam et mel fastidio; novi et genera et nomina piscium, in quo litore concha sit lecta, calleo; saporibus carnium discerno provincias.* Ita olim mendici nunc vero delicati pauperes;
4. caveamus, ne sive in cibis sive præcipue in potu mensuram debitam excedamus. Non solum paupertas id prohibet sed etiam castitas: *Quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur* (Gregor. M.).

§ 11. De Exercitio Paupertatis in Habitatione et Supellectili:

1. Ne affectemus in cellis habitare amplioribus vel magis commodis, sed dependeamus omnino a nutu superioris;
2. cellam interdum lustremus, an ibi aliquid sit superfluum vel pretiosum, vel statui paupertatis quomodocunque contrarium;
3. cellæ Religiosorum nec sint splendidæ nec sordidæ;
4. in omnium etiam necessariarum rerum usu parcitati studeamus; v. g. actum laudabilem paupertatis exercet, qui lampadem vel candelam non adhibet in iis, quæ etiam sine lumine persolvere potest, et sic de ceteris; vere enim pauperes etiam minimorum curam habere solent sollicitam; caveamus ne res ad usum concessæ negligentia vel incuria nostra maculentur, pereant, vel saltem citius consumantur. *Si quis autem sordide, aut negligenter res monasterii tractaverit, corripiatur* (s. Reg. c. 32.). *Omnia vasa monasterii, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata, conspiciat* (ib. c. 31.). Obligationem habet proinde usuarii Religiosus quilibet, summa scilicet cura invigilandi, ut res mutuo acceptas sanas conservet et integras.

CAPUT II.

De voto Castitatis.

§ 1. De Notione Castitatis religiosæ.

Castitas est virtus, quæ coercet inordinatum appetitum et usum venereorum, hominemque disponit, ut nec cogitatione, nec verbo nec opere aliquid admittat, quod puritati est contrarium.

Castitas dividitur in *virginalem*, *vidualem* et *conjugalem.*

Castitas virginalis iterum vel in stricto sensu sumitur vel in sensu minus stricto. Castitas virginalis in sensu minus stricto consistit in firmo et efficaci proposito abstinendi perpetuo ab omni actu libero venereo tum interno tum externo, sive in matrimonio sive extra illud. Hoc propositum, solemni promissione firmatum, constituit castitatem religiosam. Castitas vero in sensu stricto accepta insuper supponit plenam immunitatem ab omni venerea corruptione corporis.

Effectus castitatis religiosæ voto solemni firmatæ sunt:

1. Reddit voventem perpetuo inhabilem manente statu religioso ad matrimonium contrahendum;
2. præcedentia sponsalia irritat;
3. ipsum matrimonium antecedens, ratum tantum sed non consummatum, dissolvit.

Encomia castitatis tum in S. Litteris tum in scriptis Ss. Patrum passim habentur.

§ 2. De Obligationibus religiosæ Castitatis.

Religiosus quisque vi voti sive solemnis sive simplicis ad castitatem mentis et corporis obligatur. Communis est theologorum sententia, in peccatis venereis non dari parvitatem materiæ, ideoque etiam cogitationem obscenam plene deliberatam peccatum grave esse et quidem in Religioso duplum scil. luxuriæ et sacrilegii.

Dantur quidem in genere luxuriæ peccata per se et ex natura sua venialia, ea scil. quæ aliquo modo pugnant contra castitatem sine delectatione tamen ulla venerea, ut sunt verba minus honesta ex levitate prolata, aspectus mulieris ex curiositate etc., quæ tamen per accidens, ob scandalum vel ob aliam circumstantiam in peccatum grave transire possunt.

§ 3. **De potissimis Castitatis amittendæ Periculis:**

1. *Gula.* Ad excitandam et fovendam carnis concupiscentiam plurimum confert excessus in cibo et potu, quia sedes libidinis in carne est. **Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ, superbia, saturitas panis et abundantia et otium ipsius, et filiarum ejus** (Ezech. 16, 49.). **Nolite inebriari vino, in quo est luxuria** (Eph. 5, 18.). **Ubicunque satietas et ebrietas fuerint, ibi libido dominatur** (S. Hier. l. 1. in ep. ad Titum.);

Experientia idem testatur luxuriæ vitium nunquam magis committi, quam facto excessu in cibo et potu;

2. *otium.* **Multam malitiam docuit otiositas** (Eccli. 33, 29., cf. Ezech. 16, 46. supra.). *Fugiamus otium ceu pestem castitatis perniciosissimam; nec enim sanctiores Davide, nec sapientiores Salomone, nec fortiores Samsone nos esse cognoscimus* (D. August. serm. 12, ad Fratres in eremo.).

Experientia quotidiana idem confirmat. Ratio patet; nam natura ita comparati sumus, ut semper aliquid cupiamus habere, quo occupemur et delectemur, proinde, si caremus licitis et honestis, quæ agamus, ad illicita facile declinabimus, et quorsum magis, quam ad illa, ad quæ natura per se est prompta? Accedunt tentationes diaboli. Hinc recte monet D. Hieronymus (ep. 4.) *Facito aliquid operis ut te semper diabolus inveniat occupatum;*

3. *superbia.* Permittit Deus superbos in turpissima luxuriæ peccata labi ut sic vilitatem suam et miseriam manibus palpent. **Qui se exaltat, humiliabitur.** De gentibus dicitur: **Evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum . . . . propter quod tradidit illos Deus in desideria cordis eorum in immunditiam** etc. (Rom. I, 21, 24.).

Confirmant id facta apostatarum (nec enim repente in ima præcipitari solent; malum plerumque ex superbia et pertinacia judicii oritur); subesse nolunt, libertatem inordi-

nate ambiunt; suis viribus nimium fidunt, occasionibus quibusvis temere se committunt, et quia Deus superbis resistit in imania luxuriæ peccata ruunt et cum consequentes inde confusiones pacato animo et vere pœnitente ferre nec velint nec possint, ex desperatione apostatæ fiunt;

4. *incauta sensuum, oculorum præcipue, custodia.* Oculi petulantes, teste Ven. Beda, cordis luxuriosi sunt proditores. Et sane per immortificatum oculorum usum in mente generantur ideæ periculosissimæ vel resuscitantur, quæ carnis concupiscentiam, velut scintilla ignem, excitant et proximo peccati periculo sæpe nos exponunt (David.).

Periculosum esse aspectum in faciem feminæ etiam honestæ, testatur (Eccli. 9, 5.): Virginem ne aspicias, ne forte scandalizeris in decore ejus. *Mulierum conspectus est sagitta veneno illita, quæ ferit animam et venenum immittit, et quo diutius manet, eo magis vulnus computrescit* (S. Nilus or. 2. adv. vitia.).

Ideo Job (31, 1.). fœdus pepigit cum oculis suis, ut ne cogitaret quidem de virgine; ita etiam ceteri Sancti fecerunt, quanto magis nobis hæc cautio adhibenda est.

5. *incauta cum altero sexu conversatio!* Quodsi solus mulieris aspectus castitati adeo periculosus est, quid non timendum de conversatione incauta cum feminis præcipue junioribus et formosis. Mulieres enim apostatare etiam faciunt sapientes (Eccli. 19, 2.). *Cum femina semper esse et non cognoscere feminam nonne plus est, quam mortuum suscitare? Quod minus est, non potes et quod majus est, vis credam tibi....et continens vis putari? Esto, ut sis, sed ego suspicione non careo. Scandalo mihi es, tolle scandali causam, quo te probes verum (ut jactitas) Evangelii æmulatorem* (D. Bern. in cant. sem. 66.). —

Etiam feminæ piæ familiaritas fugienda est, licet sub pietatis specie cœpta sit. *Corda enim*, ait Blosius, *sensim voluptatis sensu capiuntur ac vulnerantur, tentari incipiunt*

et quod videbantur initio recte et spiritualiter facere, id tandem transit in delectationem et sensualitatem.

Neque hic excepta velim in sacro tribunali colloquia, quæ periculosa evadere possunt, tum ob propinquiorem ipsius personæ præsentiam, tum ob confessionis materiam.

Probemus zelum num vero ex Deo sit. Merito suspecti essemus, si promptiores essemus ad excipiendas confessiones mulierum quam virorum, diutius cum feminis, præcipue in materia lubrica, quam cum viris ageremus.

Ob paritatem rationis idem videtur subesse periculum in omni familiaritate nimia, quæ hinc inde contrahitur cum personis ejusdem sexus, pueris præcipue, quos præstantia formæ et decora membrorum concinnitas commendat. Unde non frustra S. Ephrem (de vita spirit. nro. 11.) exactam commendat oculorum custodiam, si contingat colloqui cum adolescentibus ætate et aspectus venustate florentibus; emolliunt enim et effeminant ejusmodi incauti aspectus viriles animos. S. Pachomius pœnas gravissimas statuit in eos, qui deprehensi fuerint de fratribus cum pueris ridere et ludere;

6. *curiositas.* Sicut rerum inhonestarum representatio oculis exhibita inhonestas in phantasia excitat imagines et graves tentationes, ita etiam librorum similium curiosa lectio. Neque dicas, te inde non quærere nisi eruditionem. Numquid excusari poterit, quod eruditionem adeo profanam et cum tanto æternæ salutis periculo quæris?

Imo quam periculosa sit ipsis confessariis lectio casuum obscenorum, quorum notitia ipsis tamen est necessaria, experientia docet, quare etiam hi caveant, ne curiositatem magis, quam rationem officii prævalere sinant, ideoque antequam talia legant, vel in sacro tribunali audiant, humili oratione contra tentationes se muniant iisque jam ante contradicant.

Quin ipsius S. Scripturæ lectio curiosa nonnullis in locis periculo non caret iis præcipue, qui gravioribus con-

tra castitatem tentationibus sunt obnoxii (conf. S. Reg. c. 42.).

§ 4. De Mediis conservandæ Castitatis:

1. Humilis oratio cum totali diffidentia sui et secura in Deum confidentia conjuncta. Et ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi Deus det, et hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adii Dominum, et deprecatus sum illum (Sap. 8, 21.).

   Graviori tentationi præsertim contra castitatem, homo natura ad malum proclivis, peccatis propriis etiam magis corruptus, sine speciali Dei gratia resistere nequit, hanc vero gratiam humili oratione obtinere potest, quare ipse Christus orare nos docuit: Et ne nos inducas in tentationem (Matth. 6, 13.).

   Diffidentia in propriis viribus et plena in Deum confidentia sunt necessariæ conditiones orationis.

   Accedit huic nostræ orationi major efficacia, si variis Ss. Patronorum intercessionibus stipata sit præsertim B. Mariæ Virginis, S. Angeli custodis, S. Benedicti et S. Aloysii;

2. fuga occasionum: Qui amat periculum, peribit in illo (Eccli. 3, 27.). Talibus enim temerariis Deus gratiam suam denegare solet, et merito. Qui libere hujusmodi periculis se exponunt, vel viribus suis confidunt, vel iis diffidunt: si primum, divinæ gloriæ erit, superbos ac præsumptuosos deprimere ut ipso facto suam palpent imbecillitatem, e. g. Petrus; si alterum, jam hoc ipso peccarunt, quod in hujusmodi graviter peccandi periculum libere se conjecerunt.

   Objecta absentia per imaginationem repræsentata sæpe gravissimas excitant tentationes, quid præsentia? certe succubuisset Joseph, nisi fugisset.

Non solum occasiones quæ ad amorem lascivum, sed etiam quæ ad amorem sensualem et inordinatum erga personas quasdam in nobis excitant, sedulo evitare debemus;

3. moderata carnis maceratio. Certum est nos non habere hostem periculosiorem quam carnem nostram. Quemadmodum caro continuo concupiscit adversus spiritum et spiritus continuo debet pugnare adversus carnem. Quo magis carni blanditus fueris, eo magis servum foves rebellem.

Moderata carnis maceratione pro peccatis tuis Deo satisfacis, habitum te ipsum generose vincendi acquiris et quo magis sponte corpus doloribus affligas, eo facilius voluptates illicitas ei denegabis: **Si dextera manus tua scandalizat te abscide eam** (Matth. 5, 30.). Ita omnes Sancti fecerunt.

Deserviunt in hunc finem:

α) Moderata jejunia. Contraria contrariis curantur. **Hoc genus (dæmoniorum) non ejicitur nisi per orationem et jejunium** (Matth. 17, 20.);

β) lectus durior, cilicia, flagella; sic deprimi debet et humiliari superbia carnis et angelus satanæ, qui nos colophizat, præsertim urgente vehementi tentatione sensus voluptatis statim præsenti aliquo dolore extinguendus est. Excitat nos heroicum exemplum S. P. Benedicti, S. Bernardi et aliorum Sanctorum. Consulatur tamen superior vel pater spiritualis, ne limites discretionis transgrediamur.

Huc pertinet necessaria sensuum externorum, visus præcipue et tactus, custodia, de qua supra;

4. seria quatuor novissimorum consideratio: **Mors peccatorum pessima** (Ps. 33, 22.). Quotiescunque igitur vexat gravis tentatio carnis, quilibet semetipsum interroget num mori velit morte hac peccatorum pessima?

Quodsi non velit cur igitur illud agere libeat, quod certissime ad hanc mortem disponit?

Quæso, quæ Religiosi alicujus confusio, cum videbit actiones suas turpissimas et opera tenebrarum in lucem protrahi, tanta est nostra verecundia ut vel unius testis præsentia a facto turpi refrenet cupiditatem vehementissimam et hanc non inhibeat horrenda in die extremi judicii in conspectu omnium certissime expectanda confusio?

Urgente vehementius stimulo carnis descendamus in infernum viventes. **Quis habitabit cum igne devorante? quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?** (Is. 33, 14.) Imitemur hic praxin viri cujusdam sancti, qui cum violenta urgeretur tentatione, digitum suum igni admovit; cujus ardorem cum sentiret, sibi dixit: Tu nec per momentum hujus calorem ferre potes, quomodo ardores ignis infernalis tolerare poteris? Recte igitur S. Scriptura nos hortatur: **Memorare novissima tua, et in æternum non peccabis** (Eccli. 7, 40.);

5. sincera sui manifestatio. Non frustra s. Regula præcipit, cogitationes omnes cordi advenientes, maxime vero lascivas ad Christum allidere et patri spirituali patefacere (c. 4, instr. 50 et c. 46.).

Experientia docet, hoc medium contra tentationes quasvis et illusiones diaboli esse efficacissimum. Plura vide supra parte II. c. 7.

De Resistentia in actuali Tentatione.

Certum est peccatum non esse, pati turpes quasvis cogitationes, motus turpes et venereos, dummodo caveatur consensus et delectatio quævis deliberata, sive directa sive indirecta. Permisit Deus sæpe, ut sanctissimi homines gravissimas hujusmodi tentationes experti sint (S. Paulus). Dum nostram ad malum propensionem et infirmitatem ma-

nibus palpamus in humilitate conservamur, cautiores efficimur ad pericula etiam remotiora fugienda; compellimur ad Deum confugere, merita nobis comparamus, aliorum infirmitatibus compati et mederi discimus.

Sint tamen regulæ sequentes:

1. Noli ansam dare quocunque modo tentationi;
2. quam primum advertis te cogitatione vel motu obsceno tentari, absque omni mora animum ab objecto turpi averte, cogitationem turpem velut carbonem accensum vesti immissum excute. Ad talia animus est convertendus, quibus nos magis distrahi scimus;
3. ad preces, tentatione perdurante, confuge una cum protestatione efficacissima. Tempore tentationis hujusmodi mere negative se habere i. e., neque consentire neque dissentire, si non est consensus interpretativus, certe valde periculosum est;
4. tentatione vehementius urgente preces ferventius fundendæ, B. V. Maria, aliique Sancti invocandi sunt, nunquam animus despondendus est. **Fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum** (I. Corinth. 10, 13.). Quo acrior pugna, eo gloriosior victoria.
5. caveamus ab anxietate nimia, scrupulis, signis et gestibus inconvenientibus. Unum sufficit: Malo mori quam fœdari; et totus infernus non prævalebit. Quodsi tempore tentationis victores fuerimus, caveamus, ne id præsumptuose viribus nostris adscribamus.

Quodsi infeliciter caro prævaluerit adversus spiritum:

1. Cavenda nimia tristitia et animi dejectio; infinitæ Dei bonitati confidamus, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat;

2. pœnitentia seria, saltem contritio perfecta, ne unico quidem momento differatur; humiliemus nos coram Deo et efficacissimis propositis surgamus a lapsu;
3. studeamus, ut occasione hujus lapsus imposterum fiamus cautiores in periculis evitandis et sollicitiores in mediis castitatis conservandæ adhibendis;
4. nobis ipsis pœnitentiam afflictivam sponte injungamus;
5. precibus ferventioribus donum perseverantiæ efflagitemus.

CAPUT III.

De Voto Obedientiæ.

§ 1. De Notione Obedientiæ religiosae.

Obedientia religiosa est votum, quo Religiosus ad præcepta sui superioris tamquam Vicarii Christi propter Deum in omnibus, quæ peccatum manifeste non continent, et quæ juxta Regulam ipsius sunt, adimplenda se obstringit. Religiosa igitur obedientia ex principiis fidei procedere debet: **Qui vos audit, me audit** (Luc. 10, 16.). *Sive Deus sive homo vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obsequendum est cura, pari reverentia deferendum* (D. Bern. de præcept. et disp. c. 9. n. 19.). Commendat idem D. Paulus, cum de obedientia loquitur: **Quodcunque facitis, ex animo operamini sicut Domino, et non hominibus** (Col. 3, 23; Ephes. 6, 7.). Certe ope hujus fidei vivæ difficillima quævis superiorum imperia fiunt observatu facillima. Obediendum est propter Deum; absit omnis respectus humanus, amor interessatus, intentio peccaminosa.

§ 2. De Praestantia Voti Obedientiae.

D. Thomas votum obedientiæ inter cetera vota esse præstantissimum triplici ratione probat:

1. Quia obedientiæ voto longe plus Deo offertur;
2. quia alia vota includit, ut patet ex nostra formula professionis, ubi paupertatis et castitatis mentio non fit;
3. quia ad finem vocationis nostræ assequendum magis nos juvat. Nam teste S. Gregor. (l. 35 mor.) obedientia ceteras virtutes menti inserit insertasque custodit. **Melior est obedientia, quam victimæ** (I. Reg. 15, 22.). *Si jejunaveris diebus ac noctibus orationemque feceris, si in sacco fueris vel in cinere, et obediens patri non fueris, omnes virtutes perdidisti; una obedientia plus valet, quam omnes virtutes* (D. August. de obed. et humil.). Commendatur obedientia exemplo Christi, qui factus est obediens usque ad mortem.

§ 3. De Efficacia Obedientiae religiosae.

Consistit hæc efficacia in eo, quod opera quævis minima ex se indifferentissima Deo faciat gratissima et ideo summe meritoria. *Propria voluntate relicta humiliter prompteque obedire propter Deum et ex simplici obedientia urticas et zizania exstirpare melius est, quam ex propria voluntate sublimi rerum contemplationi operam dare* (Blosius in sacello animæ.).

Sacrificium Deo acceptissimum est propriæ voluntatis abnegatio. Certius criterium divinæ voluntatis habere non possumus quam justam voluntatem superiorum. **Qui vos audit me audit** (Luc. 10, 16.). Quot igitur actus meritorios singulis diebus Religiosus obediens facere potest!

§ 4. De Securitate et Tranquillitate, quae sequuntur ex Obedientia religiosa.

Quantumcunque superior ex pravis motivis vel imprudentia in præcipiendo erraverit, subditus errare non potest in

obediendo. In ceteris virtutibus diabolus sæpe se transfigurat in angelum lucis, ut bonos decipiat, ut experientia docet; impossibile vero est eum falli, qui facit quod vult Deus; atqui hoc faciunt vere obedientes, dummodo manifestum peccatum non sit quod præcipitur.

Hinc vero miram conscientiæ tranquillitatem et securitatem sequi necesse est. *Utinam sic tecum esset, et ad hoc pervenisses, ut tui ipsius amator non esses, sed ad nutum meum pure stares, et ejus, quem tibi præposui, patris: tunc mihi valde placeres, et tota vita tua in gaudio et pace transiret* (Imitat. Chr. l. 3, c. 32.).

§ 5. De Rebus in quibus praestanda sit Obedientia.

Tenentur Religiosi vi hujus voti ad omnia, quæ superior præcipit regulis vel constitutionibus ordinis sui consentanea sive expresse sive implicite, sive formaliter in regula et constitutionibus contineantur, sive indirecte ad illas tantum pertineant. Si superior præcipiat in virtute obedientiæ vel nomine Christi vel talibus verbis, quæ indicant eum velle graviter obligare, tenetur Religiosus sub mortali obedire in materia gravi, etiamsi ordinationes regulæ per se non obligarent sub culpa; secus votum obedientiæ illusorium esset. Item si Religiosus quodcunque præceptum superioris ex contemptu transgreditur dicendo: *Nolo obedire, nolo facere, de industria non faciam*, secundum omnium doctorum sententiam graviter peccat, quia illa verba continent potestatis legislativæ contemptum et irreverentiam erga superiorem.

Superior non potest vi voti præcipere ea, quæ sunt contra regulam vel supra vel infra eam, i. e. inutilia, nisi ex causa, quæ est juxta regulam; promittimus enim obedientiam juxta Regulam S. Benedicti. Posset Religiosus obligari ad opitulandum fratribus peste infectis, quia ad bonum religionis pertinet, ut Fratres sibi subveniant, imo hoc saltem implicite in s. Regula continetur. In dubio de potestate

superioris et an res aliqua sit licita, tenetur subditus obedire, quia melior est conditio præcipientis qui est in possessione auctoritatis.

Superior Regularium habet etiam potestatem patris familias in ordine ad politicam domus gubernationem etiam erga Novitios. Unde ex quarto Decalogi præcepto potest suos obligare independenter a voto; in hac materia, licet in regula non contineatur, habet quoque a Papa jurisdictionem ecclesiasticam quasi eqiscopalem in suos subditos et Novitios, vi cujus potest illos obligare sicut Episcopus suos subditos (v. Antoine p. 8. de oblig. Relig.). *Religiosus subditus hujusmodi obedientiam quæ voti finibus continetur, noverit imperfectam; nam perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis ad omne quod injungitur extenditur* (S. Bern. de præcept. et disp.). Vere igitur obedientes non curiose discutiunt, quid possint præcipere superiores, sed quidquid præcipiant.

§ 6. De iis, quibus vi Voti sit exhibenda Obedientia.

Obedientia exhibenda est superioribus. Superiores vel sunt immediati vel mediati; immediati sunt, qui potestatem regendi habent ordinariam; mediati, qui habent potestatem delegatam. Supremus omnium Religiosorum præpositus est Papa. Superioribus obediendum est non solum mansuetis, piis, prudentibus, sed etiam asperis, discolis, indiscretis, nisi res aperte illicita præcipiatur. Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis (I. Petr. 2, 18.).

Si hoc christianis quibusvis præcipitur, multo magis id Religiosis convenit. Nonne Christus ipse obedivit principibus ethnicis? Judicium suum et voluntatem subjicere superiori non adeo discreto, imo malitioso, perfectæ obedientiæ est, difficile, sed necessarium. Nam si in aliqua communitate vel republica cessaret subordinatio, quoties superi-

ores delinquerent, quæ inde confusio? quæ lites? Quoties ex cæco amore proprio, ex obviis quibuscunque suspicionibus fingeremus nobis superiorem variis vitiis implicatum, ut justum haberemus titulum debitam ei denegandi subjectionem! Consultum ergo est, ut aliorum, maxime superiorum, actiones non dijudicemus; fallimur sæpissime; nostris erroribus corrigendis simus intenti! Quinimmo ex s. Regula c. 71. etiam sibi invicem obediant fratres, non quidem vi voti, sed ex caritate, alteri facile cedendo, honore invicem præveniendo, aliorum voluntati in rebus justis prompte obsequendo.

§ 7. De Gradibus Obedientiæ.

Primus gradus obedientiæ in eo consistit, ut in executione præcepti simus exactissimi, non solum quoad substantiam, sed etiam quoad circumstantias. Bonum enim ex integra causa, malum ex quolibet defectu.

Ab hoc gradu longe absunt, qui variis dictaminibus, præsumptionibus et interpretationibus, præcepta superiorum eludere conantur; hæc enim partus sunt proprii amoris, quæ nos securos reddere non possunt in die judicii.

Secundus gradus est, ut etiam voluntatem nostram voluntati superioris subjiciamus, et conformemus; externa enim obedientia sine interna hypocrisis est.

Ab hoc gradu recedunt, qui, dum a superiore munus, labor vel actus obedientiæ gravior injungitur, ex turpi respectu humano et vano timore obediunt quidem, sed interius turbantur, murmurant, imo in absentia superiorum factas ordinationes reprehendunt coram fratribus, hisque scandalo et monasterio pestis periculosissima sunt.

Deinde quam infelices jam in hac vita tales Religiosi sunt, qui jugum obedientiæ portant sine merito, imo cum damno suo gravissimo.

Tertius gradus est, ut judicium quoque nostrum judicio superioris subjiciamus, nisi manifeste constet, superi-

orem male agere vel malum aliquid præcipere. Certe hæc est obedientia s. Regulæ conformis, vi cujus non proprio, sed alieno oportet judicio et imperio ambulare (c. 5.). Sine hac proprii judicii abnegatione obedientia non erit holocaustum, nam intellectum subtrahimus.

Huic gradui maxime adversatur aperta vel latens superbia; superbi enim non volunt regi a superioribus, sed suos continuo regere superiores, iis contradicunt cum Sarabaitis, pro lege eis est desideriorum voluptas, cum quidquid putaverint vel elegerint, hoc dicunt sanctum, et quidquid noluerint, hoc putant non licere. Sed non sibi solum nocent, sed etiam toti communitati, cum alios in suos partes trahere soleant.

Quartus gradus est, ut obediamus non tantum in præceptis, sed etiam in consiliis, et in iis, quæ superioribus grata esse scimus. Sic obediunt boni filii: Hæc obedientia curas superiorum et tædia minuit, gratum facit Deo et hominibus.

Ab hoc gradu obedientiæ absunt, qui nihil agunt, nisi quod verbis expressis vel comminatoriis præcipitur, statim superioribus respondent audacter: *ad hoc vel illud non tenear*, vel similia laxissimæ conscientiæ dictamina. Si nos erga Deum tam parci sumus etiam Deus gratias parce nobis tribuet.

Quintus gradus est, ut etiam in iis obediamus, quæ inclinationibus nostris omnino sunt contraria, valde difficilia vel etiam moraliter impossibilia. Ita præscribit S. Bened. c. 68.: *Si fratri impossibilia injunguntur . . . . et post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit: sciat junior, ita sibi expedire; et ex caritate, confidens de adjutorio Dei, obediat.* Si effectus exhiberi nequeat, saltem ostendatur affectus, quem sæpe Deus adeo gratum habuit, ut miraculo illud confirmaverit. Contra hunc gradum peccant, qui non obediunt prompte, nisi in iis, quæ sunt

grata, facilia, honorifica; sub prætextu infirmitatis, inhabilitatis officia injuncta detrectant vel cum indignatione suscipiunt et negligenter peragunt.

§ 8. De Qualitatibus Obedientiae religiosae.

Ut obedientia Deo sit acceptabilis, debet esse prompta, sine dilatione; devota, sine dedignatione; voluntaria, sine contradictione; ordinata, sine deviatione; jucunda, sine tribulatione; strenua, sine pussillanimitate (D. Bonav. tom. 7.).

Obedientia sit ergo:

1. *Prompte;* verus obediens nescit moram, mandatum non procrastinat (D. Bern. serm. 41, de divers.; s. Reg. c. 5.);
2. *hilariter:* Hilarem datorem diligit Deus (II. Cor. 9, 7.). *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multum colorant obedientiam obsequentis. Ostendunt plerumque voluntatem animi, signa exteriora. Quis imperat libenter tristitiam efflanti?* (S. Bern. serm. 41, de divers.)
3. *simpliciter; perfecta obedientia est maxime in incipiente indiscreta, hoc est, non discernere, quid, vel quare præcipiatur, sed ad hoc tantum niti, ut fideliter et humiliter fiat, quod a majore præcipitur* (D. Bern. de voto sol.). *Multos videmus post præcipientis imperium multas facere quæstiones: cur? quare? quam ob rem? sæpius interrogare . . . . unde hoc venit? quis hoc adinvenit consilium? . . . inde murmuratio . . . inde frequens excusatio, simulatio impossibilitatis, advocatio amicorum; non sic Abraham* (D. Bern. serm. 41 de divers.). Haec obedientia caeca, ut in Abraham patuit, Deo est acceptissima et miraculis saepe confirmata, et necessaria in quavis communitate. Quid fieret, si subditis liceret, praecepta superiorum discutere, reprehendere, reprobare? Actum esset de auctoritate superiorum, de pace, de subordinatione.

Ad quid ergo dices, Deus nobis dedit rationem?

nonne hoc esset obedire more brutorum; nonne ipsa Scriptura nos hortatur: **Omnia probate: quod bonum est tenete** (I. Thess. 5, 21.).

Respondeo: Ratione uti debemus, ut ea, quae jussa sunt, recte faciamus, vel ut cognoscamus, quid agendum vel omittendum sit, nisi hoc aliunde, nempe ex ipso mandato superioris, Dei voluntatem exprimentis constat (excepto semper casu manifesti peccati). Haec obedientia est voluntaria et libera, ideoque non bruta. In epist. ad Thess. D. Paulus non loquitur de praeceptis superiorum, sed de prophetiis seu revelationibus hominum privatorum, quae, num genuinae sint, utique examinari oportet;

4. *indifferenter;* hoc immediate sequitur ex simplicitate obedientiae. Praeclare hanc indifferentiam describit S. Basilius (in constitut. mon.): *Sicut*, inquit, *faber murarius aut quivis alius artifex artis suae instrumentis pro libitu utitur, ita Religiosus utile instrumentum in religione esse procuret, ut eo superior, prouti ad aedificium spirituale expedire judicaverit, utatur; sicut instrumentum absente artifice minime movetur, eo, quod nullum a se motum habeat, sed eum tantum, quem operarius illi dat; sic nullum sine superioris praescripto et decreto Religiosus motum debet facere, sed semper et in omnibus rebus a superiore moveri ac gubernari se sinat;*
5. *humiliter;* qui non est humilis, obediens esse non potest;
6. *viriliter;* non tepide (s. Reg. c. 5.), sed strenue manum mittere ad fortia, aggredi ad difficilia;
7. *pure;* seu cum bona et supernaturali intentione, considerando superiorem tamquam Dei vicarium;
8. *diligenter;* non tepide, sed omnes vires intendere, ut opus secundum omnes circumstantias, quantum fieri potest, perfectum evadat;

9. *perseveranter:* Qui perseveraverit usqe in finem, hic salvus erit (Matth. 10, 22.).

§ 9. De vitio Murmurationis Obedientiae religiosae opposito.

Distinctius hic agendum de pessimo murmurationis vitio, quum ex una parte nihil adeo sit perfectae obedientiae oppositum, ex altera vero nihil in communitatibus religiosis adeo familiare et periculosum. *Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa in aliquo qualicunque verbo et significatione appareat* (s. Reg. c. 5, 34, 35, 40, 41, 53.). Damna hujus vitii tum privata tum publica sunt gravissima; privata quidem, quia murmuratores pace interna carent, inordinatis impatientiae, vilipensionis, suspicionis, rancoris, vindictae etc. motibus agitantur; mala spiritualia, quae ex hoc vitio turmatim sequuntur, per se patent. Graviora sunt damna publica integrae communitatis. Certum enim est, bonum praecipuum alicujus communitatis consistere in harmonia et subordinatione inter superiores et subditos, in mutua fraterna caritate; his e diametro opponitur vitium murmurationis. Ex cordibus enim subditorum tollit amorem filialem erga superiores, factiones fovet, susurrationes nutrit. Nec excusantur murmuratores hi, si injuste se putant gravari a superioribus, vel superiores ob ineptam sui officii administrationem fuerint vere reprehensibiles; nam per ejusmodi murmurationes defectus non emendantur, sed malum augetur. Quodsi querelae hinc inde justae videantur, in Statutis nostris de medio, provisum est.

Ut efficaciter occuramus vitio murmurationis, sequentes inserviant regulae:

1. Refrenanda superbia et praesumptio; inde oritur plerumque vitium murmurationis;
2. judicium ne feramus praeproperum; persaepe ob latentes causas soli superiori cognitas minus recte factum judicamus, quod prudenter actum est;

3. perpendamus etiam superiores homines esse. Quod tibi non vis fieri, aliis ne feceris;
4. recta ratio et caritas dictat errorem vel esse emendandum vel, si emendari non valeat, potius dissimulandum quam divulgandum esse, ne inutili, imo noxio murmure fratrum animi turbentur.

CAPUT IV.

De Voto Stabilitatis.

§ 1. De Notione Voti Stabilitatis Benedictinae.

Votum stabilitatis Benedictinae est promissio libera Deo facta perseverandi in observantia regulari in loco professionis secundum Regulam S. Benedicti. Sic votum stabilitatis explicasse videtur S. Pater c. 58, dum ait de Novitio ad professionem suscipiendo:

Tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se sub Regulae lege constitutum, quod ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi, nec collum excutere de sub jugo Regulae; quibus verbis et stabilitatis loci et perseverantia in observatione Regulae exprimitur. Patet item ex circumstantiis temporum, quibus suam regulam composuit S. Benedictus. *Praescribat stabilitatis factum omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago et curioso discursui, totius denique inconstantiae levitati* (D. Bern. de praecept. et disp.). *Qui non perseverat in coepto opere*, ait Hildemarus, *in perseverantia operandi bonum, etsi talis videtur stare in monasterio coram hominibus, tamen coram Deo non stat.* Stabilitas mentis (seu firma regulam observandi voluntas) et corporis est de ratione voti, imo illa potior est. Vi hujus voti Religiosus obligatur, ut e monasterio, in quo professus

est, pro libitu non possit discedere vel mutationem exigere; habet e contra Religiosus jus filiationis, i. e. ut ex bonis monasterii sui congrue sustentetur, ut pars sit illius communitatis, sicque suo tempore voce gaudeat activa et passiva in capitulo sui monasterii; ut translatus ad alium locum causa justa exigente possit, causa cessante, regressum petere.

§ 2. De Obligatione hujus Voti.

Obligatio hujus voti ex genere suo gravis est; datur tamen etiam in hoc voto parvitas materiae. Votum stabilitatis non inducit clausuram perpetuam, ideo c. 51. s. Regulae agitur de fratribus, qui longe proficiscuntur; sed impedit quominus Religiosi sine licentia superioris egrediantur. Religiosus vero absens a suo monasterio cum licentia et ordinatione sui Abbatis moraliter semper est praesens in monasterio; quia ubicunque est monachus, dummodo sub obedientia Abbatis sit, semper fingitur esse in monasterio, ideoque integrum manet votum stabilitatis. Violatur votum stabilitatis ex verbis S. Bernardi (supr. citat.):

1. *Per remissum descensum*, seu juxta mentem interpretum per reditum ad saeculum vel ad laxiorem ordinem;
2. *per discessum contentiosum*, quando quis ad aequale vel strictius monasterium transit, sed sine consilio, auctoritate et licentia superioris sui, quae certe in quolibet casu est petenda, licet praevideatur non obtinenda. Dicitur contentiosus discessus, quia plerumque fit cum contentionibus inter superiorem et subditum et cum scandalo fratrum;
3. *per vagum et curiosum discursum*, quod sic explicat S. Bernardus Cassin.: *Intelligo vagum discursum, quem nulla necessitas, nulla obedientia, nulla loci certitudo metitur; curiosum autem, quia vel ut delectabilia et oculis placentia videat aut suae gulae voluptuose deserviat*

aut fabulis intendat; abhorret monasterium, et hac cura intellectus discurrit per mundum. Quanta mala per vagos et curiosos hujusmodi discursus Religiosorum invehantur in monasteria, experientia probat;

4. *per animi levitatem et inconstantiam*, qua quis non potest vel potius non vult diu consistere in uno loco. Aegritudine animi tales laborant quam migrando de loco in locum non effugiunt, quia ubique se ipsos inveniunt. *Curre huc, vel illuc, non invenies quietem, nisi in humili subjectione sub praelati regimine. Imaginatio locorum, et mutatio multos fefellit* (Imit. Chr. l. 1. c. 9.).

Ubique superiores et patres sunt homines, ideoque patientia ubique necessaria est.

Huc referri possunt superfluæ et otiosæ visitationes parentum, amicorum extra monasterium; indicant nos nondum vere mortuos esse carni et sanguini. Scimus comminationem illam evangelicam: Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei. (Luc 19, 62.). Certe non parum nobis nocent hujusmodi visitationes, quum plurimos in nobis excitent et foveant distractiones, curas inutiles. Dixit quidam: *Quoties inter homines fui, minor homo redii* (Imit. Chr. l. 1. c. 20.), quod integrum legendum est. Quid, si insuper accesserit libera et scandalosa conversatio, quæ solet esse pejor quo remotiores sumus a vigili oculo superiorum!

Inter transgressores stabilitatis religiosæ porro numerantur:

1. Qui pro animi sui libertate huc illuc vagantur, sive corpore id fiat sive animo;
2. qui septa monasterii sine necessitate et sine licentia egrediuntur, qui domos sæcularium frequentant ad rumores et novitates audiendas;

3. qui ex frivolis et imaginariis causis mutationem aeris petunt;
4. qui tempus fallendi causa extra suam cellam in monasterio et per cellas aliorum vagantur.

§ 3. **Causæ excusantes a Stabilitate loci:**

1. Melioratio tum animi tum corporis. Sicut licitum est transire ad srictiorem et perfectiorem ordinem sine primæ professionis prævaricatione, quum votum minus non possit impedire votum et bonum majus, ita licitum est sine stabilitatis violatione ad aliud monasterium ejusdem ordinis transire sincero zelo et studio perfectionis. Sed valde cavendum ne satanas in angelum lucis se trensfiguret, ideo preces multiplicandæ et consilia a viris prudentibus et piis petenda. Etiam ad corporis sanitatem recuperandam ex medici consilio mutatio loci conceditur;
2. salvatio animæ, ut periclitantem in eo quo stabilitatem vovit monasterio salutem animæ tutetur. Ita enim S. Bernardus (de Præc. et disp.): Præscribebat proinde stabilitatis pactum omni deinceps remisso descensui, contentioso discessui, vago et curioso discursui, totius denique inconstantiæ levitati; nec tamen his, quæ in professionis suæ serie sequuntur, morum videlicet conversioni et obedientiæ, quæ secundum regulam fit. Nam si hæc ibidem pro improbitate nimirum atque irreligiositate cohabitantium obtineri forte nequiverint, duce spiritu libertatis transire indubitanter suadeo ad alium locum, ubi non impediatur homo reddere Deo vota sua, quæ distinxerunt labia sua. Equidem: Cum sancto sanctus eris et cum perverso perverteris;
3. causas porro excusantes esse possunt odia, simultates, persecutiones, quas in suo monasterio pati cogeretur monachus; si ob delictum infamatus etsi emendationi incumbat, deberet in confusione magna et inde nata

tristitia vivere, licet profecto perfectius esset persecutiones, injurias, comtemptum patienter ferre; imo raro consultum erit ideo transire; plerumque hujusmodi Religiosi nec alibi vivunt contenti, quia non sunt patientes, pacifici, obedientes;

4. obedientia, quando Abbas ex justa causa jubet, e. g. ut utilitati vel necessitati alterius monasterii succurrat, etsi stabilitas loci extra congregationem fuerit promissa, ubi non sunt plura monasteria in unum corpus sub uno quasi capite coadunata. Exempla prostant in vita S. Bendicti et aliorum Missionariorum. Quatuor alias causas assignat Julianus Parisius:

   α) Ad fundandum novum monasterium;
   β) propter inopiam monasterii proprii;
   γ) ad agendam pœnitentiam ob delictum;
   δ) ad reformanda monasteria.

Ut nobis grave non sit cum iisdem semper vivere confratribus et sub quibuslibet superioribus, sequentia sunt observanda:

1. Stude abnegare proprium judicium et propriam voluntatem;
2. erga alios esto humilis, urbanus, benevolus. Inter superbos semper jurgia sunt (Proverb. 13, 10.);
3. aliorum defectus patienter suffer. *Stude patiens esse in tolerando aliorum defectus et qualescumque infirmitates; quia et tu multa habes, quæ ab aliis oportet tolerari* (Imit. Chr. l. 1. c. 16.), totum caput legendum omnino;
4. quilibet sibi non aliis invigilet, nisi superior sit. Suspiciones et judicia temeraria de confratribus vel superioribus suprimamus;
5. amicitias particulares, factiones, susurrationes fugiamus ut pestem communitatis. Hac ratione et hac sola ratione eritis in vestris monasteriis quieti et contenti, imo

cari omnibus et accepti; secus, væh vobis! votum stabilitatis erit jugum intolerabile. Cogitate, quia prædixi vobis!

§ 4. De Regulis nonnullis servandis ab iis, qui justa ex causa extra monasterium degunt:

1. Quemadmodum ubique vi votorum veri Benedictini esse debeamus, sic et mores Regulæ Benedictinæ conformes servemus;
2. exercitia regularia præsertim meditationem, examina, etiam in itinere et in quocumque officio constituti omittamus nunquam; media enim sunt ad promovendam indies vi professionis nostræ perfectionem majorem absolute necessaria. Quemadmodum ergo si quis intra claustra monasterii notabili satis tempore ejusmodi negligeret, a peccato mortali excusari non posset, ita nec extra monasterium, imo multo minus, quia ibi iis magis indiget;
3. caveamus inutiles et otiosos discursus per domos sæcularium;
4. caveamus omnem vanitatem in vestitu et corporis cultu, luxum in victu, mores sæcularium in gestibus, verbis etc. Extra monasterium, et cum inter sæculares versamur, ea omnia accurate observemus, quæ de modestia religiosa supra dicta sunt; plurimos enim habemus exploratores; decipiuntur comptuli Religiosi et vanitatum sæcularium amatores, dum hac ratione ab aliis se magni fieri putant.

CAPUT V.

De Voto Conversionis Morum.

§ 1. De Notione Voti Conversionis Morum.

Votum hoc est promissio Deo facta, mores nostros componendi secundum s. Regulam S. P. Benedicti et Statuta Congregationis seu continuo juxta s. Regulam et Statuta inordinatos affectus mortificationis exercitio subjugando, et de virtute in virtutem progrediendo ad caritatis perfectionem et perfectionis celsitudinem tendendi.

Vi hujus voti Religiosus non obligatur, ut actu perfectus sit, sed ut per efficacem mediorum applicationem serio ad perfectionem continuo tendat. Qui proinde hinc inde ex fragilitate peccata venialia et imperfectiones committit, hujus voti prævaricator non est, neque voluntatem ad perfectionem tendendi dimisisse censetur.

Votum conversionis morum, quoad substantiam non est distinctum a voto obedientiæ sed in eo includitur, neque Benedictini hic speciale quidque præ aliis Religiosis vovent, nisi quod morum conversionem determinatæ regulæ conformare debent, et ideo forsitan in formula professionis omittitur votum castitatis et paupertatis, utpote in voto conversionis morum inclusum.

Explicite vero voti conversionis mentionem fieri voluit S. Benedictus ut Sarabaitis se opponeret.

§ 2. De Impedimentis solidæ Conversionis.

Impedimenta sunt:

1. Longa consuetudo vitæ sæcularis et pravi habitus ibi contracti. **Perversi difficile corriguntur** (Eccl. 1, 15.);

2. dissolutio disciplinæ; novelli monachi, dum e novitiatu reduces vident liberiorem ceterorum vivendi rationem, facile a prima sua caritate recedunt, nisi firmiter statuant, etiam contra torrentem quasi murum æneum se opponere;
3. frequens conversatio cum sæcularibus. Sicut Judæi, postquam commixti sunt inter gentes didicerunt opera earum, ita Religiosi libere conversando cum sæcularibus mores induunt sæcularium;
4. nimia occupatio in rebus exterioribus vel in litteris, cum neglectu exercitiorum spiritualium;
5. defectus bonæ voluntatis: *Quicunque bonam voluntatem habet, supposita gratia divina, secum habet, quidquid ad bene vivendum ei opus est* (S. Bern. ad fratr. de monte Dei).

§ 3. De Observatione necessaria s. Regulæ.

S. Regula est norma religiose vivendi a fundatore ordinis præscripta et ab Ecclesia approbata. Pro diversitate ordinum regulæ sunt diversæ, quæ tamen in iis, quæ substantiam votorum attinent, conveniunt; in ceteris pro diversitate finium particularium cujusvis ordinis discrepant.

1. Regulæ non sunt mera consilia; sed habent aliquatenus rationem legis; ac proinde aliquatenus obligant. *Regula religiosa*, inquit Suarez, *non est mere consilium; quia præter illam sunt multa alia quæ ex consilio possunt Religiosi . . . ; et nihilominus Religiosus omittens alia consilia supra suam regulam, non censetur deesse suo muneri et statui: si autem suam regulam prætermittat, deficere censetur a sua obligatione. Ergo talis regula respectu illius plus est quam consilium. Ergo necessitatem aliquam imponit* (de relig. tom. 4. tract. 8. l. 1. c. 2. n. 2.). Patet hoc:

   a) Ex formula professionis: *Obedientiam secundum Regulam* S. Benedicti; promittimus nempe conformare vi-

tam nostram s. Regulæ. Porro s. Regula non est nisi votorum determinatio et ad casus particulares applicatio;

β) ex pacto quod intercedit inter Religiosum et monasterium, Regulam observandi ex una parte, et vitæ necessaria suppeditandi ex altera;

γ) ex Trident., quod directe precipit, ut omnes Regulares, tam viri quam mulieres, ad regulæ, quam professi sunt, præscriptum vitam instituant (sess. 25. c. 1.);

δ) ex s. Regula: *Suscipiatur in Congregatione, sciens, se sub lege Regulæ constitutum, quod ei ex illa die non liceat de Monasterio egredi; nec collum excutere de sub jugo Regulæ, quam sub tam morosa deliberatione licuit recusare, aut suscipere.* (c. 58.). Etiam superiores Regulam observare tenentur, imo magis quam subditi, quia ex officio debent esse forma gregis; certe non sunt defectus periculosiores in communitate quam superiorum, qui debent: *Omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendere* (s. Reg. c. 2.). *Scire prælati debent, quia si perversa unquam perpetrant, tot mortibus digni sunt, quot ad subditos perditionis exempla transmittunt* (S. Greg. reg. past. p. 3.).

2. Regula non obligat vi voti obedientiæ, nisi forte id in ea clare exprimatur. Advertendum votum obedientiæ non obligare immediate ad servandam regulam, nisi regula ipsa verbis satis expresse exigat voti obligationem. Et ideo non recte censent qui putant regulam religiosam ex genere suo obligare sub mortali: quod senserunt aliqui ex illo fundamento quod voti obligatio ex genere suo obligat sub mortali, et obligatio regulæ est obligatio voti. Falsum est autem hoc fundamentum, quia votum non obligat ad servandum regulam, sed ad obediendum secundum regulam. Et ideo propria obligatio regulæ ut sic, non ex voto obedientiæ,

sed ex propria ratione legis, et ex principiis ejus est colligenda (Suarez, de relig. tom. 4. l. 1. c. 2. n. 7.).

3. S. Regula juxta omnes obligat sub gravi peccato in iis, quæ vota concernunt; nisi excusetur ob parvitatem materiæ vel impefectionem actus.

4. Violationes regulæ possunt graviter peccaminosæ evadere ob varia adjuncta, quæ eas concomitantur:
   α) Si violatio fiat ex formali contemptu;
   β) si annexum habeat periculum labendi in peccatum mortale; præsertim si in particulari materia et specie peccati mortalis illud periculum versetur, et aliqua certa ratione et experimento constet ex remisso modo vivendi in observatione talis regulæ sequi illud periculum;
   γ) si damnum grave inferat religiosæ disciplinæ;
   δ) si secum trahat violationem voti in materia gravi;
   ε) si religiosum exponat expulsioni;
   ζ) si secum trahat gravem violationem precepti tendendi ad perfectionem; e. g. si Religiosus statueret ipsa vota sua et cetera omnia quæ ipsi sub peccato injunguntur, non observare.

5. Raro in praxi peccati gravis rei censendi sunt Religiosi ob regulæ violationem. Raro enim contingit ut Religiosus adeo sit salutis suæ immemor ut scienter et deliberate periculo se exponat regulam suam graviter violandi; præsertim si prælatus opportunis monitis et pœnitentiis transgressiones coerceat; et facilius in hoc graviter peccabunt superiores non corrigendo, quam singuli Religiosi regulam facile transgrediendo.
   (Vide Bouix de jure Reg. tom. 2. p. 571 et seqq. edit. Paris, 1857.).

Ceterum s. Regula quoad singulas ordinationes (extra materiam voti) per se non obligat sub peccato; notandum tamen, Regulæ ordinationes esse media ad obligationes

substantiales adimplendas omnino necessaria. Certe sublata observantia regulari corruent religiones florentissimæ. Hanc rationem etiam S. Thomas Aq. affert: *Transgressio vel omissio aliorum* (extra tria vota) *obligat solum ad peccatum veniale, quia hujusmodi dispositiones sunt ad principalia vota* (2. 2. q. 186, a. 9.)

Sane religiosæ disciplinæ dissolutio semper a minimorum neglectu et regularum contemptu ortum sumpsit, donec ad interitum protraxerit. Communiter etiam admittitur ea in quibus S. Pater non utitur verbis præceptivis, non esse nisi *consilia* et *monita*. Sed simus liberales erga Deum, ut et ipse in nos liberaliorem se exhibeat.

Quod dictum est de Regula valet etiam de Statutis.

Concludamus verbis, quibus Bern. Cass. in speculo suos confratres hortatus est: *Minimas etiam observantias Regulæ et Ordinis nostri studeamus observare, et de nostra salute semper solliciti nihil vilipendamus, nihil in contemptum vel consuetudinem reducamus. Qui enim in parvis negligens est, sublimium donorum omnino indignum se facit; at qui in parvis fidelis existit, spiritualium ditabitur multitudine gratiarum.*

LIBRARY OF CONGRESS
0 022 169 580 A